vius, qui unà cùm Paulo bellum adminiſtrabat, claſſe Samo- A thraciam appulſa, Perſeum religione deorum reliquit inviolatum: mari tamen, & effugio præluſit. At Perſeus clàm Oroandem quendam Cretenſem, qui lembum habebat, induxit, ut ſe cum pecunia ſuſtolleret. Ille arte Cretica uſus recepit pecuniam: illum cùm nocte venire ad portum Demetrium cum liberis, & ſervitiis neceſſariis juſſiſſet, ſtatim primis tenebris ſolvit. Miſerabilis Perſeus erat, qui ex anguſta feneſtra per murum ſe, puerosque, & conjugem demiſit, laborum, & erroris rudes: altiſſimum etiam ſuſpirium miſit, ubi quidam, qui in alto vela facientem conſpicatus fuerat Oroandem, id in littore vaganti renunciavit: nam lux appetebat. Ita omni ſpe deſtitutus confugit ad murum, non jam rectus: verùm prævenit tamen cum uxore Romanos. Liberos ipſe tradidit in manus Joni, qui pridem fuerat ei in deliciis: tùm verò proditor ejus, in cauſa potiſſimùm fuit cur Perſeus compelleretur, ut fera, captis natis, in manus venire, & permittere corpus Romanis, qui liberos tenebant. Maximam fidem habebat Naſicæ, quem accerſebat, cùm is non adeſſet, queſtus ſuam fortunam, reſpiciensque neceſſitatem, dedidit ſe Octavio. Cùm duci petiſſet ad conſulem, conſurgens conſul, ut magno B viro, deorum ira, & aſperitate fortunæ prolapſo, cum amicis ad lachrymas effuſus, proceſſit obviàm. At ille turpiſſimum ſpectaculum præbuit, ac ſe ad pedes Pauli ſubmittens, & genua ejus appetens, voces degeneres, & preces emiſit, quas non tulit, neque auribus admiſit Paulus, ſed intuitus eum vultu triſti, & offenſo: Quid miſer, inquit, maximo crimine liberas fortunam, qui hæc admittis, qua re non immeritò oppreſſus videare calamitate, neque hac, ſed priſtina indignus fortuna fuiſſe? Quid verò non præbendo te generoſum, nec dignum populo Romano adverſarium, victoriam maculas meam, & palmam elevas? Virtus magnam conciliat vel apud hoſtes reverentiam afflictis: ignavia apud Romanos eſt etiam fauſtis rebus prorſus contempta. Suſtulit tamen eum, dextramque porrexit, & curam ejus mandavit Tuberoni. *Plutarch. in Æmilio.*

Pseudo-Philippus, poſt Philippum Demetrii regni hæres, à Demetrio Syriæ rege, ad quem auxilii gratia contra Romanos venerat, captus, ac Romam miſſus, cuſtodiæque traditus eſt. *Volat. lib.* 18. *Anthrop.*

C Syphas Maſſeſſulorum rex, qui Maſiniſſam regno expulerat, cum P. Corn. Scipione fœdus contraxerat. Cæterùm poſteà mutatus animo, ducta Aſdrubalis Barchini filia Sophonisba, ad Carthaginenſes defecerat. Tandem à Scipione in Africa captus cum multis nobilibus viris ad Scipionem perductus fuit. Auctor ejus vitæ.

Pescennius Niger à ducibus Severi Imperatoris per Æmilianum ſuperatus, apud Cyzicum ſauciatus, captus, & ad Severum deductus eſt. Caput ejus ſuffixum Romam miſſum. *Spartianus.*

Æmilianus Mauritanus, Imperator ab exercitu nominatus à duce Galieni Theodoro captus, ad Galienum miſſus eſt. *Trebellius Pollio.*

Valerianus Imperator haud multò pòſt, quàm Chriſtianum nomen inſectari eſt adortus, ad Perſicum bellum profectus, ſive aliena fraude id acciderit, ſive ſua ipſius temeritate (nam utrumque traditur) in hoſtium poteſtatem vivus venit. Ferunt Saporem Perſarum regem, à quo captus eſt, adeò inſolenter, & barbarè captivo ſeni (erat enim Valerianus ſeptuagenarius) illuſiſſe, ut pro ſcabello ejus tergo uteretur equum aſcenſurus. In ea tam turpi captivitate cum tandem conſe- D nuiſſe, ſcribunt. *Lætus, & Aurel. Victor. Euſeb. in ſermone ad conventum ſanctorum*, excoriatum, & ſale conditum à rege ſcripſit.

Gothorum rex Rhadagaſtus, in Italiam adversùs Honorium Imper. cum ducentis equitum millibus profectus, inter Feſulanos montes in Stiliconis Honorii ducis, atque ſoceri poteſtatem venit: à quo catenis vinctus, per omnem Italiam ductus, turpiter interiit: ad cujus famam paulò antè omnes contremuerant. *Fulg. lib.6. cap.*10.

Ardabures Theodoſii Imperatoris dux contra Joannem tyrannum Italiæ, cum Placidia, & Valentiniano Cæſare Salonam in Dalmatiam venit. Ipſe, conſcenſis cum magna copiarum parte navibus, Ravennam verſus, ut Joannem ex improviſo adoriretur, iter intendit: Aſparem verò filium, Placidiam, & Valentinianum cum altera terreſtri itinere Aquilejam juſſit contendere. Proſpera navigatione uſus, ad Italiam quidem appulſus eſt, verùm ſub exſcenſionem ſævo repentè ſuborto vento repulſus, licèt obluctans, in oram Ravennatem ejectus eſt: ubi à militibus Joannis accurrentibus captus, ad illum continuò eſt deductus. Joannes tanto duce præter om- E nem expectationem potitus, quoniam pacem optabat, ipſum humaniſſimè habuit, ac liberæ cuſtodiæ tradidit. Ardabures cùm omnes, qui à Joanne ſpoliati honoris fuerant, malè erga illum animatos animadverteret, per eos Aſparem admoneri filium juſſit, quem ipſe caſum ſubiiſſet, & ut propiùs accederet cùm Joannes, quaſi confecta victoria, omnia ſtudia militaria remiſiſſet. Aſpar ſolus Aquileja cum equitatu in agrum Ravennatem tacitus prodiit. Inde paſtore quodam duce, per paludem; quæ urbi adjacebat, anteà quidem inviam, ſed tum Dei beneficio perviam, magno ſilentio ad urbem proceſſit: ac portis patentibus, ut in ſumma pace, inventis, nemine non ſolùm repugnante, ſed ne ſentiente quidem, intravit. Joannes à ſuis proditus, & captus eſt. *Sig. lib.* 11. *Imp. occid.*

Gilimere Rege Vandalorum in Papua monte, quò confugerat, à Phara duce Beliſarii obſeſſo, & capto, impoſitus eſt finis bello Vandalico, & recuperata eſt Cathargo cum tota Africa, anno Chriſti 33. Juſtiniani ſexto: cùm quidem eam tenuiſſent Vandali annos 95. Anno enim Chriſti 438. à Genſerico Vandalo primùm occupata eſt, cùm anteà fuiſſet ſub Rom. Imperio annis 585. Sicque regnum F Vandalorum deſtructum eſt, periitque Vandalica rabies cum ipſo nomine. *Niceph. lib.* 17. *cap.* 12. *Evagrius lib.* 4. *cap.* 16. *Otho Phryſingenſis lib.* 5. *cap.* 4. *Paul. Diac. lib.* 16. *Sigeb. & Regino lib.* 1.

Romanus Diogenes Conſtantinopolitanus Imperator, cùm audiſſet Belzethemum Perſarum Regem, bellum adverſùs Syriam, & Aſiam parare, Antiochiam defenſurus, poſt longam pugnam, cæſis ſuis, vivus captus eſt. Belzethemus in Græcorum ludibrium, quoties cum proceribus ſuis conſultaret, Diogenis collum pedibus premere ſolebat. *Guido Bitur.*

Constantinus VI. Imperator cùm matrem Irenem imperii ſociam per decem annos rejeciſſet: illa paulò pòſt à civibus imperio reſtituta annos tres imperio præfuit, ac filio in carcerem conjecto oculos effodit, in quo brevi tempore extinctus eſt. *Vol. lib.* 23. *Anthrop.*

Isaacius Angelus à fratre ſuo Alexio (quem à Turcis captum magno redemerat) excæcatus, & in carcerem conjectus eſt. *Ibid.* G

Leontius Patricius Conſtantinopolitanus, cùm poſt profligatum Juſtinianum Rhinotmetum tres annos imperaſſet, à Tiberio Apſimaro, qui Africæ præerat, captus, truncatiſque naribus in cuſtodiam miſſus eſt. *Ibid.*

Ludovicus Romanus Imp. ab Adalgaiſo duce Beneventano, contra quem bellum ſuſceperat, captus, & jurejurando adactus, ne poſthac rebellaret, liberè ab eodem dimiſſus eſt. Verùm cùm paulò pòſt Berengarium bello vexaſſet, ac viciſſet apud Veronam, ſecurior eſſe cœpit. Igitur inſidiis captus, & excæcatus eſt. *Crantz. lib.2. cap.*23. *Metrop.*

In Pictonibus Joannes primus rex Francorum infeliciter contra Anglos pugnavit. Dionyſius Myrobrechus Atrebas, cæde domi facta exul, apud Anglum honeſtum ordinem ducebat. Hic regem in tumultu pugnæ agnovit, viaque vi facta, propiùs accedens, Francica lingua hortatus eſt, ut neceſſitati pareret. Eduardum regis filium Principem requirebat rex. Ille alia pugna occupabatur. Atrebati dextram Francus dedit. De captivis inter victores certabatur, nec modò inter ſingulos, ſed inter gentes, Anglos, Vaſconeſque, & qui ex reliqua Gallia ſigna Angli ſequebantur, Rex à prehenſantibus huc, illucque diſtrahebatur. Tandem nobiliſſimi Anglorum, Vaſ- H conumque advolantes cum turma delectorum, voce præconis, cum furcæ minis, verbis Principis pronunciavere, à corpore regis faceſſerent præproperè, qui circumſtabant: præmia ſuæ cujuſque fortitudini, felicitatique ab rege, principeque deſtinata: ipſi, ad edictum ſubmovente ſeſe turba, deſilientes equis regem adoravere: reverentiſſimèque ad principatum duxere. Capti nobiles Franci ad mille quingentos. Quinque omninò millia armatorum deſiderata. Speciem nobiliſſimæ omnium victoriæ captus cum filio Philippo Audace (qui ſe in defendendo patre mirificum præſtiterat) rex præbuit. Eduardus Burdegalam Francum duxit. Ibi ſeditio orta, nec Vaſcones paſſi ſunt, niſi muneribus, pollicitationibuſque principis pleni, Joannem in Angliam tranſvehi. Myrobrecho quinque millia aureorum præſentia in ſumptum, cultumque numerata: uberiora præmia ab Eduardo patre expectanda. Itaque in Angliam magna claſſe, exploratiſque omnibus tranſmiſſus fuit. *Æmil. lib.*9.

Tam

Tamberlanes, Zagatajæ orientalis Scythiæ regionis, Par- A thiam ac Sogdianam verſus, princeps (cujus Samarcanda civitas, ad fluvium Jaxartem conſtructa, patria fuit) peditum atque equitum innumerabili multitudine, Natoliam totam occupavit. Bajazetes primus Turcarum rex Conſtantinopoli, quam tum obſidebat, relicta, exercitum navibus Angorium deduxit, ac prope Stellam montem, ubi olim cum Mithridate Pompejus pugnaverat, cum Tamberlane conflixit, ac ſuperatus eſt. Hunc captum Tamberlanes catenis aureis ligavit, atque in ferream caveam detruſum per totam Aſiam, ac Syriam circumduxit, quouſque tandem ipſi miſeriarum finem mors attulit. In eo prælio (quod tempore Bonifacii Papæ noni commiſſum eſt) plus quàm ducenta hominum millia deſiderata ſunt. *Jovius in vita Bajezetis.*

Moseydes Tartarorum rex, magni Tamberlanis nepos, adversùs Uſſuncaſſanum Perſarum regem, cum innumerabili exercitu profectus, fuſus, ac captus, atque ad Uſſuncaſſani pedes cum uxoribus deductus (quarum ex gentis more magnum numerum habebat) dividi eas vectoribus vidit: multis inde contumeliis affectus, Uzaibacharæ, qui ab ipſo rebellaverat, deditus, & ab eodem ignominioſè necatus fuit. *Fulg. lib.6. cap.* 11.

B Albertus Tuſcorum Marchio, cognomento Dives, Lamberto Guidonis F. duci Spoletano, & regi Italiæ rebellans, unà cum potente Comite Hildebrando, collecto exercitu Papiam tendebat, ſuadente uxore Bertha, Hugonis, qui pòſt regnavit, matre. Lambertus venationi indulgens, certior de adventu hoſtium factus, centum acceptis tantùm militibus, noctu vino, ſomnoque ſepultos trucidavit, & Marchionem in præſepio, in quod ſeſe abdiderat, extractum, cum Comite cepit, inque ſuum conſpectùm adductum his verbis affatus eſt: Nempe Bertham tuam divinatio fefellit, quæ cùm te regem futurum prædiceret, in præſepio latentem aſinum fore ignoravit. *Cuſp.*

David Bruſius rex Scotorum ab Anglis victus ad Duraim acceptis jam duobus vulneribus, telis corpori etiamnum hærentibus, tamen dedere ſe noluit: ne tot civibus ſuis ſupereſſet. At cùm eques quidam auratus, Joannes Coplandi, ad deditionem eum cogeret, cùm telum manibus excidiſſet, pugno os ejus tanto impetu verberavit, ut duos illi priores dentes C excuſſerit. Quatuor cum rege capti comites ſunt. Telum autem unum regis tibiæ infixum extrahi priùs non potuit, quàm ſanctum Nivianum viſeret: viſa enim tum eſt tibia manifeſtò aperiri, ac telum proſilire. *H. Boethius l.* 15.

Venceslaus Imp. & rex Bohemorum, Sigiſmundi Imp. frater, bis captus, & in vincula conjectus eſt. *Volater. lib.* 23. *Anthrop.*

Sigismundus Caroli IV. filius, Venceſlai frater, Auguſtorum Imperator factus, proceres xxxii. in Pannonia necari juſſit. Ob quam rem & ipſe poſteà captus eſt, ac viduæ, cujus maritum interfecerat, traditus. *Ibid.*

Alfonsus Aragonum, & Siciliæ rex, dum Neapolitanum regnum armis repetit, & Cajetam obſidet, à Blaſio Axereto Genuenſium duce prælio victus, & cum fratre captus eſt, anno 1434. *Bracell. l.3. Belli Hiſp.*

Carolus V. Imp. Franciſcum, regem Gallorum, captum in prælio ad Papiam urbem, anno Salutis 1525. poſteà dimiſſum, regno reſtituit: affinitateque ſibi eum devinxit, tradita illi ſorore Leonora in uxorem. *Guiliel. Zenocarus in vita Caroli lib.* 2.

D Ludovicus Sfortia Mediolanenſium dux à Ludovici duodecimi Gallorum regis ducibus Tramollia, Trivultio, & Lignino Novariæ obſeſſus, Helvetios, quorum fides in expugnanda Novaria probè enituerat, ad popularium ſuorum, qui Gallo militabant (in factiones enim jam diſceſſerat tota Helvetia, privatorum quorundam execranda avaritia) præfectis perſuaſos, fruſtra ad pugnam hortabatur, quòd ſe abſque ſuorum magiſtratuum mandato, cum propinquis, & propriis fratribus, cæteriſque ſuæ gentis hominibus pugnare nefas eſſe dicerent: quibus paulò pòſt, quaſi ejuſdem eſſent exercitus, permixti, cùm primùm in patriam redire velle dixerunt: eique ut Helvetii peditis amictu, ne agnoſceretur, ſe ipſis miſceret, conceſſerunt. Illis igitur ordine per Gallicum exercitum incedentibus, dum agmini permixtus. Helvetio more veſtitus, & armatus pedes incederet, cognitus, & captus fuit: uſque adeò miſerando ſpectaculo, ut vel hoſtibus ipſis lacrymas expreſſerit. Fuerunt præter ipſum capti Galeacius Sanſeverinas, Fracaſſa, & Antonius Maria fratres, Helvetiis eodem veſtitu permixti. Aſcanius Cardin. fratris calamitate audita, repentè Mediolano diſceſſit. Proxima nocte, ut ſe aliquantiſper à labore itineris celeritate ſuſcepto recrearet, ad Rivoltam in Placentino agro Conradi Landi ejus urbis patricii, ipſa af- E finitate, & longa neceſſitudine conjuncti, caſtellum moratus eſt. Qui mutato cum fortuna animo, Venetorum ducibus Placentia accerſitis, illum atque unà Hermetem Sfortiam, Joa. Galeacii defuncti ducis fratrem, tradidit. Aſcanius ſtatim captivus Venetias perductus eſt: ſed cùm rex Galliæ illum à ſenatu Veneto, additis etiam minis, repeteret, ad illius armorum furorem vitandum ei traditus eſt. Ludovicus Lugdunum, ubi tunc erat rex, perductus, & in urbem meridie introductus, infinita multitudine, ad tantæ paulò antè amplitudinis, & majeſtatis principem viſendum accurrente, ad regis conſpectum quemadmodum ſummoperè cupiebat, non eſt admiſſus: ſed poſt biduum in Locenſem turrim ductus, in ea circiter decem annos, quibus vitam terminavit, captivus fuit. Secutus eſt illum non multò poſt frater Aſcanius Card. qui majore humanitate acceptus, & ab Rotomagenſi Cardinale Georgio Amboyſio benignè ſalutatus, honeſtiore in cuſtodia habitus eſt: nimirum in Biturigum turri: in qua idem rex, à quo tunc captivus tenebatur, biennium, incluſus fuerat. *Guicciard. lib.*4.

Reginæ. F

Zenobia Palmyrenorum regina, Aureliani Imp. currum captiva præceſſit, adeò gemmis onuſta, ut ſæpe proceſſu pompæ reſtiterit, faſſa ſe nimio gemmarum pondere degravari. Vincti erant pedes, & manus aureis catenis. Triumphata Tibure vixit cum filiis, ubi prædia ſunt ei publicè data. Manſit loco nomen in poſterum, ut Zenobia diceretur, haud procul ab Adriani villa, & loco, cui nomen Conchæ eſt. Eutropius Romæ conſenuiſſe auctor eſt, & ab ea Zenoniam familiam in urbe propagatam. *Sab. l.*7. *Enn.*7.

Placida Honorii Imp. ſoror, ab Athanulpho Viſigothorum rege captiva abducta ex urbe Roma, inde in uxorem ducta. *Sigeb. in Chronicis.*

Henricus VI. Imperator Conſtantiam uxorem ad res quaſdam procurandas Cajetam, & Cajeta Salernum miſerat. Ea Cajetæ multis à latronibus contumeliis onerata, demùm Salerni à Salernitanis eſt comprehenſa, & à Tancredo rege Siciliæ, quem Henricus regno tollere conabatur, Panormum G traducta, ibi eſt in regia cuſtodita. Cæterùm quadriennio pòſt mortuo Gulielmo rege, impubere filio relicto, Henricus Genuenſium ope Siciliam obtinuit, & Panormo dedito, uxorem liberavit, & regem ſe Siciliæ cum ea coronari fecit. *Sigon. l.* 13. *regni Italici.*

* Maria Stuarta Scotiæ Regina, & diadematis Anglici hæres Franciſci II. Francorum Regis vidua, & Jacobi Magnæ Britanniæ Regis hodie regnantis mater, dum ab hæreticis in regno ſuo variè affligitur, hortatu Eliſabethæ Angliæ Reginæ, promiſſiſque benevolis, & juratis evocata, in carcerem detruſa eſt, ac in eo annis viginti detenta, tandemque quod in Catholica fide perſiſteret, an. 1587. 16. die Februarii capite truncata fuit. ☞ *Vide Locum de Hæreticis, Tit. Crud. Hæretic.*

Duces.

Jonathas Machabæus, dux Judæorum fortiſſimus, cùm fermè omnem dimiſiſſet exercitum, cum mille comitibus, quos retinuerat captus eſt à Nicanore, & interfectus. 2. *Mac.* 12. H

Capta Jotapata à Veſpaſiano, Joſephus Galilææ præfectus, cujus prudentia, & fortitudine xlvii. diem obſidionis urbs toleraret, per medios hoſtes elapſus, in profundum puteum ſaltu demiſſus, in cujus imo os ſpeluncæ erat, quod à ſupernè deſpicientibus videri non poterat, quadraginta ibi illuſtres viros latitantes invenit: cum victu multorum dierum. Romani latebris cognitis, tribunum Nicanorem ad eum mittunt, qui data fide eum educeret. Et Joſephus quidem, ſomnis aliquot monitus, pariturus erat: ſocii verò mortem ei, ſi id faceret, minitabantur. Quorum deſperatione cognita, perſuaſit illis, ne ſeipſos interficerent (cùm id & lex Dei, & philoſophia humana deteſtaretur) ſed quandoquidem mori placeret, ſorte ducta, mutuis caderent vulneribus. Paruerunt illi: & jactis ſortibus, Joſephus divinitùs conſervatus, ſocium ſuum (qui ſolus ex quagradinta ſupererat) fide data cohortatus eſt, ut ſeſe ſequeretur, & Romanus quovis periculo ſe dedere mallet, quàm gentilis ſui ſanguine manus coinquinare. E ſpelunca inde progreſſus, Romanis ſeſe dedidit. *Joſephus lib.3. c.14. belli Judaici.*

Matronæ Spartanæ, cùm ad ſacros ludos diebus feſtis in vico Ægilia conveniſſent: Ariſtomenes Meſſenius dux alioqui fortiſſimus, bello Meſſenico ſecundo eas opprimere conatus eſt. Sed illæ numinis ope fretæ, gladiis, quibus ad hoſtias immolandas uſæ fuerant, armatæ & verubus, toſtis jam extis hoſtem invaſerunt, multiſque graviter ſauciis, ipſum quoque Ariſtomenem facibus percuſſum, ac malè mulctatum in vincula conjecerunt. Qui tamen eadem nocte dimiſſus, ad ſuos rediit. *Pauſ. in Meſſenic.*

Nicias Athenienſis, genere clarus, miſſus Imperator unà cum Demoſthene contra Siculos. Ambo capti à Syracuſanis, in carceremque conjecti, ſibi ipſis manus intulere. *Plutarch.*

Metiochus Miltiadis filius, cùm poſt victoriam navalem Perſarum ad Miletum Athenas navigaret, captus à Phœnicibus, ad regem Darium ductus fuit. Rex permultis eum bonis affecit: donavit domo, facultatibus, uxore Perſide: ex qua liberi geniti ſunt, qui inter Perſas cenſentur. *Herod. l. 6.*

Philopœmen Megalopolitanus, Crauſidis F. pro Achæis multa fortiter in bello geſſit. Verùm equo in prælio lapſo corruens, ab inimicis captus, à Dimocrate Meſſenio (cujus opera Meſſenii rebellaverant) veneno in cuſtodia ſublatus eſt. *Plut. in ejus vita.*

M. Attilius Regulus, cùm nulla erga Carthaginenſes ad extremum redactos miſericordia moveretur, pacemque ſuppliciter petentibus negaret, mox ipſe eò redactus eſt, ut eadem illa ſuppliciter à Carthagineſibus jam victus, & captus, abſque venia, petere cogeretur. *Polyb. l. 1. hiſt.*

Amilcar Carthaginenſium dux, cùm per quietem ſe Syracuſis cœnare imaginaretur, id victoriæ portentum eſſe auguratus, urbe infeliciter tentata, captus, & Syracuſas deductus fuit. *Diod.*

C. Marius L. Syllam fugiens, in Africam properans, adverſo vento ejectus, per loca invia incidit in ſenis, qui paludem colebat, tugurium. Ad hujus pedes abiiciens ſe, precatus eſt, ut ſalutem, & opem ſibi ferret. Eum ſe virum eſſe, qui ſi fortunam devitaſſet præſentem, majorem ſpe ipſius gratiam eſſet relaturus. Homo abduxit eum in paludem, ac loco cavo propter amnem demittere ſe juſſo, multam arundinem injecit, aliamque aggeſſit materiam, quæ levis, nec impoſita eum eſſet offenſura. Brevi pòſt ſtrepitus à tugurio, & tumultus eſt ad eum delatus. Geminius enim ex Tarracina miſit complures ad eum inveſtigandum. Marius, rejectis, quibus intectus erat, in paludem, quæ craſſam & cœnoſam aquam continebat, abjecit ſe: neque fefellit eos, qui ipſum inveſtigabant, ſed extractus eſt lutulentus, & nudus, Minturnaſque retractus, & magiſtratibus traditus eſt. Hic cùm Gallus, ſive Cimber quidam ad eum jugulandum intromiſſus, fulgore oculorum ejus, voceque incerta, à cæde illum dehortante, territus receſſiſſet: à Minturnenſibus ad mare deductus, in Africam fugit. *Plut. in Mario.*

Marc. Craſſus cùm infeliciter contra Parthos pugnaſſet, in fuga circumventus eſt ab hoſtibus Surenas Parthorum dux, cùm eum capere deſideraret, verbis de fœdere, & pace interjectis, eum ad colloquium invitavit. Præſentiebat dolum Craſſus: verùm militibus eum ad colloquium minis cogentibus, pergit ad hoſtes pedes, ac tantùm ait converſus: Vos, Octavi, & Petroni, & quotquot adeſtis præfecti Romani, itineris mei cernitis neceſſitatem, & teſtes eſtis, indignè me, & violenter tractari. Verùm cæteris mortalibus omnibus nunciate, ubi incolumes fueritis, deceptum ab hoſtibus Craſſum non à civibus deditum ad ſupplicium, periiſſe. Surenas cum primoribus equo advectus: Quid hoc rei eſt, inquit, pedes Romanus Imperator, & nos equo vehimur? Simul juſſit adduci ei equum. Cùm reſpondiſſet Craſſus, neque ſe peccare, neque ipſum, quòd congrederentur more uterque patrio: Jam tum Hyrodi regi cum Romanis ait fœdus, & pacem eſſe: verùm ad leges ſcribendas progrediendum ad fluvium: neque enim fœderum, inquit, vos Romani memores eſtis: porrexitque ei dextram. Cùm juberet Craſſo equum adduci, negavit ille opus eſſe. Nam rex, inquit, hunc tibi donat. Simul admotus. Craſſo equus eſt aureis exornatus phaleris, ſtratoreſque ſuſtulerunt eum in equum, & aſſectati ſunt verberibus equum concitantes. Ibi Octavius primus arripuit frænum, & ſæcundum illum unus ex tribunis Petronius: mox reliqui circumfuſi inhibere paraverunt equum, atque illos, qui ex utraque parte urgebant Craſſum retrahere. Tum impulſu ſecuto, & tumultuatione, mox verberibus, ſtricto Octavius gladio occidit unius barbari equiſonem, alius Octavium, à tergo feriens. Petronius non habebat ſcutum. Hic percuſſus in loricam reſiliit ab equo illæſus. Craſſum Parthus Pomaxæthres nomine interfecit. Id alii negant, alium autem aſſerunt percuſſorem fuiſſe, hunc verò jacentis caput, & dexteram detruncaſſe. Illud Hyrodi regi in Armeniam miſit. *Plutarchus in Craſſo.*

Hypatius nepos Cæſaris Anaſtaſii, cum exercitu numeroſo pugnaturus contra Vitalianum Scytham, ab Hunnis auxiliaribus captus, & Vitaliano mulæ inſidens turpiſſimè venditus fuit, priuſquam aperto marte ſe hoſtem oſtenderet. Imperator nongentis pondo auri hoſtem pacavit. *Cuſp.*

Præerat univerſæ Venetæ claſſi, quæ nonaginta, & ampliùs triremium numerum expleret Andreas Dandalus. Apud Corcyram Nigram Liguri hoſti congreſſus, jam victoriam in manibus habere videbatur, cùm ventorum adverſa vi jactatus, & quindecim Liguſticarum navium occurſu improviſo ex inſidiis oppreſſus eſt, univerſa claſſe partim capta, partim merſa. Is dum captivus Genuam duceretur, Patriæ, ſuumque caſum ingemiſcens, ſpiritum tandem emiſit, ſuo capite ſæpiùs prætoriæ puppi illiſo. *Egnat. l. 6. c. 10.*

Nicolaus Piſanus Venetus memorabilem victoriam navalem circà Corſicam inſulam contra Ligures adeptus, ad Caryſtum Eubœæ eoſdem ſumma felicitate oppreſſerat. Non multò pòſt ab iiſdem Genuenſibus circà Sapientiam (quæ non longè inſula à Methone eſt) cum tota claſſe oppreſſus, captivus Genuam ductus eſt. *Egnat. l. 6. c. 10.*

In prælio ad Ravennam, an. Salutis 1512. Alfonſus Ateſtinus Ferrariæ dux victor in Fabritium Columnam, Julii II. Pontificis copiarum ducem, incidit, qui ſtratis, & diſſipatis alariis ſuis circumventus, & vulneratus, undique gladiis, & ſecuribus pertundebatur. Quo conſpecto (erat enim uti magiſter equitum auro, & purpura conſpicuus) accedens: Romane, inquit, ne te cædi permitte, agnitaque prælii fortuna te mihi dede. Ad quod Fabritius: Quinam es tu, qui me agnoſcere videris, & ut me dedam adhortaris? Tu ille. Alfonſus Ateſtinus te compellat, nihilque timere jubet. Audita voce Fabritius: Vel invitus, inquit, generoſo libenter me dedo, modò Gallis antiquis hoſtibus meis non dedar. In id ſublata manu Alfonſus fidem dedit, ereptumque è media cæde Ferrariam perducendum curavit. *Jovius in Alfonſo.*

Carolus Malateſta victus, captuſque à Philippi Mariæ Mediolanenſis ducibus, admirabilem in captivitate præ ſe geſſiſſe animi firmitatem, à *Pontano lib. 2. c. 7. de Fortitudine* ſcribitur.

Victis ad Hæmum montem Turcis, Carambus Aſiæ præfectus, qui Amuratis Imp. ſororem in matrimonio habebat, captus à milite, à Joanne Hunniade quadragenis emptus eſt aureis, cùm miles decem ſolis addiceret. Eum mox Georgius deſpotes Serviæ quadragenis aureorum millibus ab Hunniade emit. *Bonfin. l. 6. Dec. 3.*

Medici.

Democedes Crotonienſis, medicus Polycratis Samiorum tyranni, captus cum eodem ab Orœte Sardium præfecto, inde ad Darium regem perductus, quem à luxatione tali curavit. *Herod. lib. 3.*

Peregrini, hoſpites.

Philippus Macedonum rex cùm Theſſalorum civitatem ſubvertiſset, & hoſpites, quos inibi reperit, divendiſset, per jocum (qui poſteà in proverbium abiit) dicebat:

—— *Ξένος ἔλθοι, ὅστις ὀνήσει.* id eſt,
—— *veniat qui proderit hoſpes.*

Eraſm. in Adag. ex Theopompo & Zenodoto.

Ricardus Angliæ rex induciis in triennium cum Saladino pactis, maritimo itinere domum repetit. Verùm ſævioribus ventis uſus, cùm inter Aquilejam, & Venetias naufragium paſſus ægrè cum paucis elapſus eſſet. Decembris menſe terreſtri itineri ſe commiſit, atque habitum, ne agnitus detrimenti aliquid pateretur, mutavit. Agnitus tamen in Auſtria ab Humboldo Duce, contra omnia & pietatis, & humanitatis exempla eſt captus, atque in cuſtodiam traditus. Henricus VI. Imp. Ducem terrore armorum illato ad eum ſibi dedendum induxit. Ita Ricardus ſub certa pecuniæ conditione dimiſſus, Henrici in conſpectum in Palmarum feſto pervenit. Henricus inde pridie Natalitia Apoſtolorum juravit, ſe Ricardum non niſi libris centum millibus argenti ſolutis, quarum

tertia pars Duci Auſtriæ deſtinabatur, liberaturum. Ea pecunia rebus etiam ſacris divenditis in Anglia eſt exacta, & Imperatori repræſentata. In quo ille gravia Pontificis, & priorum hominum omnium convitia ſubiit, quòd regem optimè de Chriſtiana Republica meritum, & ab expeditione ſacra revertentem expilaverit. *Sig. l. 15. Regni Ital.*

Ericus X. Danorum rex peregrinabatur in terram ſanctam. Ferunt nobilem quendam ex Orientis regno, militaſſe Imperatori. Is pictoris induſtrii manu, regis faciem juſſit exprimi: eamque miſit amicis, ut imaginem illam obſervarent regem eſſe trium regnorum, qui magno ſe ære redimere poſſet. Rex Venetiis hoſpitaliter exceptus, vulgari habitu & parvo comitatu venit in terram ſanctam. Perſoluto voto cùm in navim redirent, nobilis, qui ductabat, evocato rege dixit in aurem: Credis te apud nos incognitum? ecce faciem tuam (& oſtendit effigiem) regem te ſcimus trium regnorum. Quid faceres, ſi apud te noſtrorum quiſpiam, tali habitu deprehenſus, innoteſceret? Stupefactus rex hæſit. Tandem interventu patroni pecuniam nobilis accepit, quantam rex corrogare potuit. Ita non per Venetias, ſed alio itinere reverſus eſt rex in ſua. *Crantz. l. 8. Daniæ, c. 8.*

Multi ſimul.

Spartani ante Cleomenem, Leonidę F. qui Lycurgi leges reduxit, uſque adeò fuerunt degeneres, & ad ſemetipſos tuendos ignavi, ut quinquaginta millia mancipiorum incurſantes Laconiam abduxerint Ætoli. *Plut. in Cleomene.*

Lacedęmonii poſt Lycurgi mortem, cùm ſe Arcadibus pręſtantiores eſſe arbitrarentur, conſulto oraculo, at non rectè intellecto, bellum intulere Tegeatibus, ferentes ſecum compedes, tanquam eſſent Tegeatas redacturi in captivitatem. Verùm congreſſi pręlio, ac fugati, quicunque eorum vivi ſunt capti, eiſdem, quas ipſi attulerunt, compedibus indutis, campum Tegeatem metiri fune coluerunt. *Herod. lib. 1.*

Proverbium eſt: Similes ſunt Laconicis Pyli captis, in pallidos, & extenuatos. Pylus urbs eſt Laconię, ubi Cleon dux Athenienſium captivos abduxit è Sphacteria Spartanos: quos & metu captivitatis, & quod diù in deſerta, & omni commeatu deſtituta obſeſſi, & poſt captivitatem longo tempore in vinculis detenti eſſent, pallidos & tenues & deformes fuiſſe, conſentaneum eſt. *Suidas.*

Perſarum nauticæ copiæ parta victoria navali contra Jones circa Miletum hybernantes, altero à profectione anno haud difficulter inſulas continenti adjacentes ceperunt, Chium Lesbum, Tenedum: quarum inſularum ut quamque capiebant, everriculabant hunc in modum: Viri manum mutuo tangentes, à mari aquilonari auſtrale pertranſibant, totamque inſulam peragrabant, venando homines. *Herod. l. 6.*

Victo Perſeo, & ſubacta Macedonia à L. Paulo Coſ. Macedonum CL. millia à Romanis uno die in ſervitutem abducta. *Plut. in Æmilio.*

Capta à Genſerico Vandalorum rege Roma, hominum innumerabilis multitudo captiva facta eſt, neque cives ſolùm paſſim in ſervitutem abſtracti ſunt, ſed ipſa etiam Auguſta Eudoxia, hujus memorabilis cladis auctor, cum duabus filiabus Eudocia, Placidaque. *Sig. l. 14. Imp. occid.*

Anno ſecundo Heraclii, Perſæ in Cappadociam ingreſſi, Cæſaream ceperunt, & multa millia hominum abduxerunt in captivitatem. *Paul. Diac. l. 8. rer. Romanorum.*

Primò anno Conſtantini Pogonati Saraceni in Africam irrumpentes octoginta millia captiva duxere. *Paul. Diac. lib. 19. rerum Roman.* Poſt annos ſedecim denuò ex Ægypto maxima multitudo ſeſe effudit in Africam, & Carthaginem priùs ſpoliatam penè diruit. *Regino l. 1. & Diac. lib. 6. cap. 4. de geſtis Longobardorum.*

Victo Samuele Bulgarorum rege, Bulgarorum XV. millia capta, & excæcata à Baſilio II. Imp. uno è ſingulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret. Dehinc omnes juſſi ad propria reverti. *Cuſp. è Zonara.*

Hunni circa annum Juſtiniani 13. Europam invaſerunt, Potidæam everterunt, arces duas munitiſſimas in Illyrico, civitatemque Caſſandriam diripuerunt, Cherſoneſum expugnarunt: & omnes Græcas urbes præter Peloponneſiacas infeſtantes, captis CXX. M. Hominum, domum redierunt. *Procop. de bello Perſico.*

Dum Ludovicus tertius Imp. in Italia contra Berengarium bellum gereret. Hungari Bavariam, Sueviam, Saxoniam vaſtantes, magnam hominum multitudinem captam abduxerunt, præſertim ex Saxonia: ſecumque ultra Danubium trahentes, poſuerunt eam in finibus ſuis, ut tutarentur eum terræ angulum ab incurſionibus. Manentque Saxones in hodiernum diem in ea provincia, ſua lingua & moribus utentes, parumque commercii habentes cum Hungaris. Septem arces hodie vocant locum, quem tenent. *Crantzius lib. 2. Metrop. cap. 29.*

Tartari cujuſque ſexus Homines bello ceperint, in ſervitutem abigunt. Quemcumque viatorem in itinere offenderint, præter mercatorem Tartarica bulla ſignatum, jus ejus in ſervitutem aſſerendi habent, donec à priore domino repetatur. *Bon. l. 8. Dec. 2.*

Sapiregius Mendligeri Tauricæ Regis F. à Cazanenſibus Tartaris ad regnum vocatus, Moſcoviam obſedit, CCC. Hominum millia captiva abduxit, Moſcum ad tributum pendendum coegit. *Alexand. Guaguinus in Tartaria circa annum 1510.*

Joannes Albert. Polonorum rex, dominandi libidine Stephano Valachiæ Palatino bellum intulerat, an. 1498. Valachus irritatus, collectis ſequenti anno Tartarorum, & Turcarum auxiliis, ſupra centum millia hominum è Polonia abduxit, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia, & Aſia Ruſſis mancipiis implerentur, cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda. Neque verò hic tunc Ruſſiæ, & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda apud Tauricum depoſita, menſe Julio iterùm immani excurſione eaſdem regiones divexarunt. *Cromer. l. 30.*

Anno Salutis humanæ 1498. octo millia Turcarum Italiam ingreſſi, per Forojulienſem agrum Liquentiam uſque proceſſere: villæ direptæ, multi mortales capti, in captivos ſævitum: tranſmiſſoque Tiliavento fluvio caſtrametati ſunt. Veriti ne ab hoſte includerentur, ingentem Captivorum numerum, mares promiſcuè, & feminas uno in loco fœdè trucidarunt, magnamque vim hominum abduxerunt. Croatia igne, ferroque vaſtata, & crebris incurſionibus pene exhauſta eſt. *Cuſp.*

Conſtat eo bello, quod anno 1537. Venetis Solymanus faciebat, ſuprà ſexdecim millia à Corcyreis omnis ſexus, & ætatis capta, atque abducta in ſervitutem fuiſſe. *Jovius lib. 16. Hiſtoriæ.*

Solymanus Turcarum Imp. ab obſidione Viennæ, an. 1529. fortiter repulſus, ſupra ſexaginta millia Germanorum capitum in ſervitutem abduxit: & magno Viennenſium incommodo totus ager ſuccifis viribus, & frugiferis arboribus fœdè deformatus viſebatur. Idem trucidatis ad Mugacium Ungaris, ipſoque rege Ludovico in paluſtri lacuna ſubmerſo, moratus eſt ad Budam dies fermè viginti. Quo ſpacio diverſa in proximas provincias equitum agmina prædarum ſunt emiſſa, quibus hinc ad Giavarinum uſque, illinc ad Tibiſcum amnem regio omnis improviſa, atque horribili populatione ita vaſtata eſt, ut ſupra centum & quinquaginta Hominum millia omnis ætatis & ſexus, aut gladio cæſa, aut in ſervitutem abducta referantur. Qua prædatorias manus poſtquam redeuntes in caſtra recepit, eodem quo venerat itinere Byzantium eſt reverſus. *Jovius l. 28. hiſt.* Eundem fruſtra tentata anno 1532. in Noricum expeditione, ferunt ſupra triginta millia Chriſtianorum capitum in ſervitutem abduxiſſe, & aliquot millia diverſis in locis, per Michalogli præſertim equites trucidaſſe. *Jovius l. 30. Hiſt.*

A Piratis Capti.

Io, Inachi filia, à prædonibus rapta. *Parthen. cap. 1. Eroticon.*

Diogenes Cynicus, cùm ei capto latrones malignè cibum præberent, nec præſenti fortuna, nec illorum immanitate deterritus, dixit iniquiſſimum eſſe, cùm porcelli, agnique venales ſaginentur diligentiùs, hominem præſtantiſſimum animal inedia macerari, quaſi hoc pacto non redderetur vilior. Itaque accepto quantum ſat erat, cùm jam eſſet vendendus, inter cæteros ſedit, & prandebat bono animo, impartiens etiam proximis. *Philo. Quòd omnis probus liber.*

Bias Prinæus Philoſophus, conſervis demiſſo vultu mœrentibus, eò quòd jam à latronibus capti eſſent, animadvertens quendam ex aſpectu plus ſatis effeminatum eſſe, accedens inquit: Tu me emito: viro enim opus habere videris. Ille pudefactus cavillo, turbam abdidit. *Ibid.*

Nicoſtratus Olympionices adhuc penè infans è Prymneſſo Phrygiæ urbe à prædonibus raptus eſt, & ab iiſdem ad Ægeas venditus. *Pauſan. l. 5.*

Byon Borist hevites philoſophus, cùm olim cum ſce-
A leroſis navigans incideret in prædones: illis dicentibus: Actum eſt nobis, ſi agnoſcamur: Et de me, inquit, niſi agnoſcamur. *Laert. l.4. c.7.*

Cilicium olim piraticam exercentium præcipuus quæſtus erat ex Mancipiis, quæ propter opportunitatem loci facilè capiebantur, & celerrimè diſtrahebantur, quòd Delus, quæ non procul aberat, emporium præſtaret & amplum, & pecunioſum, ut illic eodem die præſente pecunia, multa mancipiorum millia diſtrahi poſſent, & avehi. In cauſa erat illud quoque, quod Romani ex Carthagine, Corinthoque ſubverſis vehementer locupletati, pluribus mancipiis uti cœperunt. *Eraſ. in Adagiis, ex Strab. l.14. Geograph.*

C. Julius Cæſar dum Rhodum hybernis jam menſibus trajicit, circà Pharmacuſam inſulam à prædonibus captus eſt: manſitque apud eos non ſine ſumma indignatione propè XL. dies, cum uno medico, & cubiculariis duobus. Nam comites, ſervoſque cæteros in initio ſtatim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiſerat. Numeratis deinde L. talentis expoſitus in littore, non diſtulit, quin eveſtigiò claſſe deducta, perſequeretur abeuntes: ac redactos in poteſtatem
B ſupplicio, quòd illis ſæpè minatus inter jocum fuerat, afficeret. *Sueton. & Valer. l.6. c.11.*

Antipater Herodis Aſcalonitæ æditui F. captus à piratis, neque ob paupertatem à patre redemptus, tandem ob virtutem Judææ tutor conſtitutus eſt à Julio Cæſare, titulumque regis ab Auguſto accepit. *Joſeph. l.17. c.8. Antiq. Judaic.*

Otho II. Imp. ingenti exercitu bellum Græcis, qui Calabriam, & Apuliam occupaverant, intulerat: quas provincias ob uxoris ſuæ Theophaniæ, Romani Imp. Conſtantinopolitani filiæ, dotem, ad ſe transferre conabatur. Commiſſo prælio cum Romanis ſigna deſeruit, ad internecionem cæſi reliqui. Imperator ad litus fugiens, in navicula trepidè cum paucis ſalutem quæſivit: à piratis paulò pòſt captus, in Siciliam delatus eſt ignotus, cùm eum Conſtantinopolim perducere vellent. At Sclavus quidam negociator, qui Cæſarem notat, pro eo pecunias ingentes pollicitus, rem occultavit: & Imperatrici Theophaniæ ab Epiſcopo Theoderico, qui rei eventum præſtolabatur, detexit. Ad litus cùm perveniſſent piratæ, pecuniæ allatæ ſunt. Quibus numerandis, cùm intenti eſſent, Imperator equo celeri conſcenſo, velociſſimè abiit
C Romam, auro multo liberatus. *Cuſp.*

Erat Sarra Columnius facilè princeps Romanæ civitatis, auctoritate, opibus ſobolis præſtantia: quippe cui duo erant filii in ſupremo Cardinalium ordine collocati, quod vix duobus aliis datum facilè reperias. Bonifacii VIII. Papæ inſectatione repentè afflictus, filios dignitate privatos, & in ordinem redactos vidit, caſtella circà urbem ſuæ ditionis direpta, & incenſa: ipſe hoſtis indicatus, & à prædonibus captus, diſſimulata perſona, ſervitutem maluit ſervire, quàm fateri quis eſſet. Maſſiliæ agnitus, redemptuſque, cum modica manu in Italiam reverſus, pontificem incautum oppreſſit, in vincula conjecit, conjectum luctu, & mœrore carceris confecit: reſtituti filii, opes ampliatæ, majorene fortunæ ludibrio, an obſequio, ne ipſe quidem expedire potuit, qui per hæc exercitus fuit. *Sab. l.7. c.8. & Fulg. l.6. c.11.*

IN CARCERES, Et Vincula Conjecti.

Qui.

D

Pontifices.

Cùm Romæ in Paſchalis II. verba Henricus V. Imp. jam inaugurandus jurare nollet, contentio inter eos orta eſt, quæ ſolennem illam actionem impedivit. Cæſariani milites tam in cives, quàm in clerum, qui frequens tum ex omnibus provinciis Pontificis juſſu confluxerat, impetum facientes, multos eorum ſine diſcrimine trucidarunt, ſacriſque ſuperſtites exuerunt veſtibus. Ipſe pontifex cum reliqua Cardinalium, cleri, civiumque multitudine vinctus abductus, nec prius dimiſſus fuit, quàm jus inveſtituræ per baculum, & annulum Imperatori integrum, uti præceſſores habuerant, permitteret. *Helmoldus cap.40. in Sclavorum Chronico, & Blondus lib.4. Dec.2.*

Cardinales.

Mortuo Nicolao tertio, dum Viterbii à Cardinalibus novi pontificis electio fieret, præeſſetque conclavi Ricardus ex Hanniabalum familia Romana primaria (qui paulò antè Urſum Nicolai nepotem prætura Viterbienſi dejecerat: erat enim hujus familiæ hoſtis acerimus) duo Cardinales ex fami-
E lia Urſina impediebant, quo minus electio fieret, niſi Urſus in præturam reſtitueretur. Viterbienſes Ricardum ſecuti, conclave ingreſſi, Cardinales ceperunt, & in vincula conjecerunt. Romæ viciſſim Hannibalum factio familiam Urſinam ab urbe expulit: quæ populariter cum ſua factione Præneſte ſeceſſit. Poſt quintum denique menſem Gallici Cardinales, abſentibus Urſinis, ſuffragiis Italos ſuperantes, Gallicum pontificem crearunt Martinum IV. *Platina.*

Reges.

Nabuchodonoſor cunctis uſque ad Æthiopiam gentibus ſuperatis, inter cæteras vaſtavit & Judæam: diùque obſeſſam Hieruſalem undecimo anno cepit regni Sedechiæ. Quem & ipſum captum duxit Antiochiam, quæ tunc vocabatur Reblata: ibique coram patre filiis interfectis, oculos illi juſſit erui, excæcatumque miſit in caveam, & ritu ferarum traxit in Babylonem, completo vaticinio Hyeremiæ, quod canebat, Intrabis in Babylonem, & non videbis eam. *Hyeron. com. 5. in Iſaiam cap. 14. & lib. 4. in Ezech. cap. 17.*

Artaxerxes à patre Dario regni hæres relictus, cùm Cyrum fratrem, cui pater legaverat Lydiæ præfecturam,
F & omnes civitates ad mare jacentes, adverſùs ſe res novas moliri reſciviſſet, domum accerſitum aliquamdiù in aureis habuit compedibus, privaſſetque eum vita, niſi precibus matris Artaxerxes victus, data venia, vinculis eum liberaſſet. Cyrus ea injuria adhuc magis accenſus, in ſuam præfecturam reverſus, bellum ex profeſſo fratri intulit. *Plut. & Trogus.*

Jugurtha Numidarum rex regno amiſſo, Romam ductus, & in carcerem conjectus eſt: ubi in carceris oſtium jocatus dicitur. *Salluſt.*

Ricardus II. Anglorum rex in Hibernia aderat. Adoleſcentulus intereà Henricus Comes Darby, cum Comite Northumbriæ, ac pleriſque aliis Angliæ nobilibus prætextu actionum immodicarum in eum conjuravit. Londinum accitus, vocatu nobilium, ab Henrico in itinere captus eſt, ac Londinum perductus, metu præſentis mortis, regno ſe abdicare coactus eſt Henrico, Joannis Gant, ducis Lancaſtriæ F. illi ſuffecto. Ricardus cùm aliquandiù in arce Londini ſervatus in vinculis eſſet, illinc in Ledes Caſtellum ductus, magnas quorundam nebulonum injurias pertulit. Inde rurſus,
G veluti à bove ad aſinum ductus, in pejorem detruſus eſt carcerem, & tandem à flagitioſo quodam hominem vel occiſus, vel fame necatus. Quamobrem perpetuæ inter has familias de regno contentiones fuere, ad Henricum uſque VII. qui ducta in uxorem Edovardi IV. F. ad quam jus regni pertinebat, ſimultates omnes ſuſtulit. At Scotici annales tradunt, Ricardum in carcerem detruſum deceptis cuſtodiis muliebri ornatu agaſonis cujuſdam ductu in Hiberniam perveniſſe, cùmque ſe illic perquiri ſenſiſſet à ſatellitibus regiis, in Gallovidiam trajeciſſe, ſeruiſſeque nobili cuidam regionis illius, nomine Magdoug. Cæterùm ab aulico quodam agnitum, ac ad Robertum tertium Scotorum regem perductum, regio honore exceptum, totum ſe Deo tradidiſſe, & orationibus, ac eleemoſynis, jejuniiſque invigilantem, in caſtello Sterligenſis fato functum eſſe: ſepultum in Prædicatorum cœnobio ad cornu ſummi altaris, cujus hac etiam ætate titulus extet. *H. Boeth. l.16.*

Suitergail Uladislaum Jagellonem regem Poloniæ fratrem ſuum captum magno vix ære redemptum liberavit, cùm antè ipſe integro ſeptennio in vinculis ejuſdem fuiſſet. De
H ducatu autem Lituaniæ bellum illis erat, quem mortuo Alexandro, utriuſque fratruele, Suitergail ſibi vindicaverat. Rex autem pro Sigiſmundo, Alexandri parvulo filio, contenderat, juſtiore conſilio uſus: impium dictitans legitimum hæredem excludere: præſertim quòd fratrem ſuum, verùm inſolentem, minus expedire putabat tantis præeſſe populis. *Crantz. l.11. Vandaliæ, c.28.*

Joannes Comes de Hoya, cùm multis præliis irritaret cives Oſnaburgenſes, qui Ericum Epiſcopum fratrem ejus expulerant, multoſque ſæpè & cæderet, & caperet: audentior factus, cœpit hoſtes contemnere. Unde captus aliquando, caveæ incluſus fuit, in qua ſe vir procerus erigere non poſſet, & ſeptennio integro in ea ſervatus, tandem liberatus, anno 1444. *Crantz. l.11. Sax. c.37.*

Poetæ.

Nævius poeta ob maledicentiam Romæ à Triumviris in vincula conjectus eſt. Ubi fabulas Aliorum, & Leontem compoſuit, quibus delicta ſua, & delictorum petulantias, quibus pleroſque

pleroſque antè læſerat, diluit. Unde poſtea à Tribuno pl. vin-
A culis exemptus eſt. *Gell. lib.3. cap.3.*

Mercatores.

Emmanuel Cæſar Græcus indignè ferens Venetos negaſſe ſe, cùm id peteret, Gulielmo Siciliæ regi Græcorum hoſti bellum illaturos, quo cum fœdus iciſſent: Venetos mercatores uno eodemque omnes die tota Græcia, Græcorumque provinciis uno edicto comprehendendos curavit: miſſoſque ad expoſtulandum oratores contra jus gentium in cuſtodiam tradidit, in quibus Henricum Dandulum: nec dimiſit, niſi indignis habitos modis. *Æmil. lib.6.*

A Quibus. Ab

Cuſtodibus.

Leo V. Imp. Conſtantinopolitanus, cùm legem ſanxiſſet in ſummis urbi imminentibus periculis, ut ſi quicumque poſt crepuſculum deprehenderetur in plateis, cæſus verberibus in carcerem coniiceretur, donec illuceſceret: volens cuſtodum experiri fidem, noctu ſolus è palatio mutato habitu ſeſe proripuit. Cùmque à primis, & ſecundis cuſtodibus pecunia ſe redemiſſet: a tertia cuſtodia pugnis, flagriſque cæſus carceri traditur. Cùm autem vix multis ſignis cuſtodiæ magiſtro perſuaſiſſet,
B Imperatorem ſe eſſe, tandem dimittitur. Manè facto cuſtodibus urbis evocatis, Imperator num quis nocte prçterita ſit deprehenſus, interrogat. Et pecunia quidem corruptos graviter mulctavit: magnis viciſſim muneribus locupletavit eos, qui cæſum ſe cuſtodiæ mancipaverant. *Cuſp. ex Zonara.*

Hoſtibus.

Ludovicum Sforciam in Galliam perductum, Ludovicus XII. rex, nullam humanitatis, & clementiæ laudem quærens, in prædurum carcerem ſine ſcribendi ſolatio conjecit. Eandem fortunam tulit Aſcanius cardinalis in Placentino agro, dum effugeret, à Conrado Lando Venetis equitibus proditus. Hunc poſteà Venetiis diu cuſtoditum, depoſcenti regi Senatus tradidit, ut in Gallia ſervaretur. Hunc exitum habuerunt conſilia Ludovici Sforciæ, quibus adeò inſoleſcebat, ut ipſi fortunæ ſe imperare ſuperbè gloriantur. *Jovius lib.7. Hiſtor.*

Cur. Ob

Defenſionem.

C Bap. Platina à Paulo II. pontifice dejectus ab officio. Abbreviatoris, cùm ſeſe excuſare vellet, revinctus compedibus, & quidem graviſſimis, media hyeme ſine foco celſa in turri, ac ventis omnibus expoſita menſibus quatuor detentus eſt. Vix tandem Franciſci Gonzagæ Cardinalis Mantuani precibus ægrè pedibus ſtans moleſtia carceris liberatus eſt, ea lege, ne ab urbe diſcederet: In Indiam, inquit, ſi proficiſcere, inde te retrahet Paulus. *Platina.*

Liberam reſponſionem.

Joannes Baptiſta, quòd Herodi regi dixiſſet, non licere ei habere uxorem fratris, ab eodem conjectus in carcerem, ibidem decollatus eſt. *Matth. 14. Marc. 6.*

Regnum affectatum.

Bernardus Caprera, mortuo Martino rege Siciliæ, regnum affectans, cùm Blancam reginam ter rapere conatus eſſet, tandem proditione captus, à Sanctio regiæ claſſis præfecto in ciſternam vacuam demiſſus, laxatis ad immenſam pluviam cadurcis, rivis in ciſternam defluentibus innatante lecto, non procul à vitæ periculo fuit. Hinc in liberaliorem cuſtodiam deductus, cum cuſtode liberationem magna pecunia pactus,
D tertia vigilia noctis, fune caligis complicatis, nulla amictus tunica, è feneſtra turris demittitur: ac dum celeriùs quàm manus ferunt lubrico fune delabitur, adaptatis ad id retibus induitur, & riſu feræ caſſibus captæ, hæſit: ita ut nec ſeſe deiicere, etſi præceps caſus erat, poſſet, nec receptus in feneſtram ullus daretur. Integra nocte, & die retibus involutus, ridiculum, ac miſerandum plurimis ſpectaculum fuit. Cui acceſſit, ut cùm ad tranſitum notorum, atque honeſtorum virorum faciem vellet avertere, prohiberetur, ne illis poſteriora oſtenderet: nec quòd cibo, & potu caruerit eo die, doluit, ſed quòd ea, quæ niſi remotis arbitris decorè non fiunt, præſentibus arbitris facere non licuit. Tandem veſperi eodem receptus, unde fugerat, ad Ferdinandum Aragonum, & Siciliæ regem vinctus perducitur in Cataloniam: apud quem in priſtino honore habitus fuit. *Valla lib.2. Hiſt.*

Raptum.

Theſeus cum Pyrithoo in Theſpotidem profectus, ut regis uxorem raperet, magna exercitus parte amiſſa captus eſt, & in vinculis ad Cichytum conjectus. Eſt autem ad Cichyrum Acheruſia palus, Acheron amnis, & Cocytus, aqua inſuaviſſi-
E ma. Hinc poetæ Theſei ad inferos deſcenſus occaſionem ſumpſere. *Pauſ. in Attic.*

Æs alienum.

Cimon Miltiadis F. Athenienſis, ob mulctam patris in vinculis mortui non diſſolutam, iiſdem detentus eſt vinculis: neque legibus Athenienſium emitti potuit, niſi pecuniam, qua pater mulctatus eſſet, ſolviſſet. *Probus in Cimone.*

Crimen fictum.

Joſeph innocens carceri incluſus, quaſi Putipharis uxorem conſtuprare voluiſſet. *Gen. 39.*

Filii Jacob patriarchæ decem in Ægyptum frumentandi cauſa profecti, à Joſepho præfecto Ægypti, fratre ipſorum, in vincula conjecti per triduum, tanquam exploratores. Liberati poſteà, relicto Simeone obſide: & fide data, ſeſe adducturos Benjamin fratrem natu minimum. *Gen. 42.*

Quamdiu. Carcer

Diuturnus.

Joan. Antonius Marzanus, triginta quatuor annis in vincu-
F lis ab Alphonſo Siciliæ rege habitus, & deinde ejus quoque juſſu à carnifice interemptus eſt. *Ritus l.4. Regum Siciliæ.*

Perpetuus.

Nicolaus Laurentii F. ſcriba publicus, cùm Romani ſub Clemente VII. Pp. à ſenatoribus pontifici devotis regerentur, Capitolium invaſit, & populum ad libertatem vocavit. Quem cùm mirificè obedientem habuiſſet, hoc porrò titulo uti voluit: Nicolaus ſeverus, & clemens, libertatis, pacis, juſtitiæque tribunus, ac ſacræ Romanæ reipublicæ liberator illuſtris. Cæterùm menſe ſeptimo poſt, nulla de cauſa, quod quidem conſtet, ad Carolum IV. Imp. in Bohemiam ineundæ ſocietatis gratia profectus, ab eo Pontifici vinctus Avenionem miſſus, ob poeticæ artis præſtantiam ſervatus, æterno addictus eſt carceri. *Bonf. l.10. Dec.2. ex Petrarcha.*

Ubi.

Phryx Cybeles ſacerdos, cùm Athenis diceret adeſſe Matrem ad filiæ inquiſitionem, in barathrum pro inſano conjectus eſt. At Ceres irata agrum ſterilitate mulctavit. Cujus ex oraculo cognita, Athenienſes ſpecum complanarunt, & deam complacarunt. *Suidas.*

Hieremiam prophetam proceres Sedeciæ regis permiſſu,
G in foſſam Melchiæ regis filii demiſerunt, in quam demerſus eſt in cœno, ut caput ſolùm extaret. Liberatus eſt tamen ab Abdemelech, Æthiope ſpadone, & in atrium cuſtodiæ dimiſſus, donec urbe à Chaldæis capta liberatus eſt. *Hierem. 38.*

Jacobus Buſſularius monachus Auguſtinianus urbi Papienſi à Joan. Montisferrate Marchione præfectus, tum fictis ad bonitatem moribus, tum facundiæ magnitudine rem Papienſem ita in poteſtatem ſuam redegit, ut ceu propheta, parenſque omnium, & verus Dominus à civibus coleretur. Pecunia, armis, fideque civium adjutum, vix quarto anno fame Galeacius Vicecomes anno 1354. domuit: captum Vercellis in ferrea cavea detinuit. *Fulgoſ. l.1.*

Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis à Comite Juliacenſe, cujus agrum depopulabatur, captus, in turri quadam per quadriennium cuſtoditus, ad illius nutum in caveam ferream, in turris exedra poſitam, egredi cogebatur: ſi quando comes hoſpitibus avem hancce peregrinam, in ſolo proprio vocaliſſimam, in hoſtico pluſquàm mutam, per ludibrium
H oſtendere vellet. Sed comitem hunc Aquiſgranenſes non multò pòſt circa an. Sal. 1272. in foro trucidavere. *Munſterus in Coſmographia.*

Loca Varia Carcerum.

Carceris genera veteribus tria fuiſſe ſupra inſinuavimus, unum, quo immodeſti, & parum exculti compellerentur, ut noctu à doctis condoceſierent, & bonarum artium profeſſoribus, quæ ad bonos mores, & vitæ modum pertinerent. Alterum, quo ære alieno impliciti, & qui carceris tædio ab inita vitæ petulantia abſterrendi erant, detinerentur. Tertium, quo immanibus præſignes flagitiis, cælo, & hominum cœtu indigni, vitiis, ac vitæ turpitudine defamatiſſimi, ac propediem plectendi, tenebriſque, & pedori addicendi, intrudebantur. Cælius lib.17. c.9. Antiquarum lectionum.

Sunt qui Labyrinthum in Creta nil aliud, quàm carcerem fuiſſe tradant, in quo non foret incommodi quippiam, niſi quòd

quòd qui aſſervabatur, effugere non poterat, unde & labyrinthum dici putant, quia λα ſit particula vocum intendens notiones, & βύειν obturare ſignet, ac claudere. *Cæl.l.17.c.9.A.L. & Sab.l.6. Enn.1.*

De Latomiis Syracuſanis ſic ſcribit *Cicero in Verrem act. 7.* Latomias Syracuſanas omnes audiſtis, plerique noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum, totum eſt è ſaxo, in mirandam altitudinem depreſſum, & multorum operis penitus exciſum. Item in eadem: Carcer ille, qui eſt à crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ Latomiæ vocantur, in Verris imperio domicilium Romanorum fuit: ut quiſque iſtius animum, aut oculos offenderat, in Latomias ſtatim coniiciebatur. Hujus carceris meminit & *T. Livius belli Punici 2.l.6. Cæl.l.17.c.9. Antiq.lect.*

Theſaurus dicebatur Meſſeniorum carcer, domicilium ſubterraneum, neque auras, neque lucem exterius excipiens. Fores nullæ, ſed ſaxo immani occludebatur. In quem Philopœmen conjectus, hauſto veneno periit. *Plut. in Philopœmene.*

Scribit Suidas, locum quendam eſſe in Caria, cui nomen Thermerio, quo tyranni quandoque pro carcere ſoleant uti. Situm autem eſſe inter Melum, & Halicarnaſſum. Ex hoc cùm poſteà prædarentur latrones, neque depelli poſſent, quòd eſſet locus admodum munitus, abiiſſe in proverbium: Termeria mala. *Eraſm. in Adag.*

Apud Cyprios Ceramon, Æthiopibus Macrobiis Heliotrapeza noxiorum locus erat. *Alex.l.3.c.5.*

Bœotiis, qui Arnen quondam incolebant, dictum fuit ab Apolline, tum eos ea regione pulſum iri, cùm albi corvi apparuiſſent. Adoleſcentes autem quidam ebrii corvos ceperunt, & per ludibrium gypſo inductos diviſerunt. Quibus Bœotii viſis, perturbati ſunt, quaſi exitum jam ſortiente oraculo. Itaque adoleſcentes tumultum illum veriti, fugerunt, & locum quendam incoluerunt, quem ΚΟΡΑΚΑΣ, Corvos dixerunt, quo poſteà Bœotii delinquentes relegarunt. *Suidas in dictione ἐς κόρακας.* Unde frequens illud apud Ariſtoph. Es coracas.

Perſis carcer fuit nomine Lethes, & domicilium cineribus refertum, ad quod niſi moriturus accedat nemo. *Diodorus Siculus.*

Barathrum Athenis, ſive (ut enunciant alii Berethrum,) locus erat profundior, in tribu Hippothoontia, putei modo, in quem nocentes deturbabant. Ejus ſuperiora dura quidem erant, ac rigida, infima verò laxa, & mollia, ut deſcendentes facilè demergerentur. Abuſus videtur dictione hac in Philippicis Demoſthenes, ut inquit Harpocratio, & pro pernicie tantùm poſuiſſe. *Cæl. lib.17.cap.9. Antiq. lect.* In hoc ſpecu erant uncini, alii ſupernè, alii infernè. Huc Phrygem matris deorum ſacrificulum pro inſano conjecerunt, quòd diceret, adeſſe matrem ad filiæ inquiſitionem. At irata dea, ſterilitate agrum mulctavit. Cujus cauſa ex oraculo cognita, & ſpecum expleverunt, & deam victimis placarunt. *Suid.*

In Attica locus erat Melita nomine, quò damnatorum abiiciebantur cadavera, item ſuſpendioſorum indumenta, & laquei. Quanquam inibi Dianæ templum ſubſtruxiſſet olim Themiſtocles, quàm ἀριστοβούλην nuncupari voluerat, quòd in Perſico tumultu ipſe rebus Græciæ ſalutaria protuliſſet conſilia. *Cæl.lib.10.cap.4. A.L.*

Athenienſes ſæviſſimum carcerem, Domum nuncuparunt, ſicut tributorum exactionem civitatis regimen, miti nomine indignitatem rei temperantes: quo exemplo Appius decemvir, carcerem quem conſtituit, Domicilium plebis nuncupavit: alii Promtuariam cellam, nonnulli Publicum hoſpitium dixerunt. Spartæ Decas erat locus in carcere ad pœnam ædificatus, ubi damnatos mortem oppetere cogebant: & ſpelunca, quàm Ceada vocarunt, quaſi pallorem & lacrymas, tetræ caliginis & diri aſpectus, in quam maximis damnati criminibus vivi præcipitabantur. *Alexander lib. 3. cap.3.*

Χαρώνειος θύρα, id eſt, Charontica janua. De imminente capitis periculo, ſive de re magnopere triſti. Sic enim antiquitùs appellabatur una è carceris januis, per quam damnati judicum ſententiis ad ſupplicium educebantur. Zenodotus, Heſychius, & Suidas. Charontis enim cymba fingunt animas ad inferos deduci. *Eraſ.*

T. Livius V.C.l.1. Ancum Marcium refert, ingenti incremento rebus auctis, cùm in tanta multitudine hominum, diſcrimine rectè an perperam facti confuſo, facinora clandeſtina fierent: carcerem ad terrorem increſcentis audaciæ media urbe imminentem foro ædificaſſe. Nec ſatis ſiquidem humana rabie latius etiamnum ſerpente, graſſanteque, in ipſo etiam carcere, formidoloſo, diroque aſpectu loco alius requiri cœpit, quando quotidiana, & proinde levia remedia parum efficacia noſcerentur. Robur edidere nomen, quo maleficum genus hominum præcipitabatur: ſic nuncupatum, quòd antè arcis robuſteis includeretur, ſicut Sex. Pompeii fragmenta nos perdocent, & ſignificaſſe Plautus deprehenditur, cùm ait:

Ego vos ambo in robuſto carcere, ut pereatis.

Hinc facinora magnitudine rara, novitate dira, & inauſpicatiſſima, robore digna, magnis auctoribus appellari ſolent. *Cæl. l.17.c.8. A.L.*

Tarpeja rupes, inquit Plut. vocatur Capitolii ſaxum, è quo deturbari ſontes, moris eſt. Hinc *Horat. Serm.1.*

Tune Syri Damæ, aut Dionyſi filius audes
Deiicere è ſaxo cives, & tradere Cadmo?

Eum verò locum exponens Porphyrio, Tribuni plebis, inquit damnatos de ſaxo Capitolii præcipitabant: adiicitque fuiſſe Cadmum notæ crudelitatis carnificem. *Idem.*

Romæ Sceleratus campus juxta collinam portam: in quo Veſtales inceſti damnatæ, vivæ defodi conſuevere. *Alex. ab Alex. l.2.c.6.*

Apud Rom. fuere Gemonii gradus, ſeu Scalæ Gemoniæ, in Aventino, juxta templum Junonis reginæ, quod Veiis captis Camillus dedicavit. Sic dictæ, quòd locus eſſet gemitus, & calamitatum: quoniam illuc per Hamotrahonas raptarent unco damnatorum cadavera. Nam quod aliqui augurantur de Gemonio auctore, vel qui primus ſit exturbatus, parum comperi. Gemonios gradus apud *Plinium invenies l.8. Cornel. item Tacitus.* Gradus, vel ſcalæ dicebantur, quantum conjectura ducor, quòd ſurrectus foret locus, ac gradibus quibuſdam conſcenderetur. Proindè ἀναβαθμοὺς appellat etiam Dion in Tiberii rebus. *Cæl.l.10.c.4. Antiq.lect.*

Scribit Plutarchus, Galbæ caput multifariam cæſum, & omni contumelia affectum fuiſſe: poſtremo in eum locum abjectum, in quo eos necant, quos Cæſares ſupplicio dedunt. Vocatur, inquit, locus Sextritium, in Græcis tamen codicibus ſcriptum invenio, σηστέρτιον, Seſtertium. Spoliarium non abſimilis erat locus. *Lampridius in Commodo,* Hoſtis patriæ, parricida, gladiator in Spoliario lanietur. *Idem.*

Erat apud Romanos Tullianum, locus in carcere ad lævam, camera lapideis vincta fornicibus, ſed inculta tenebris, odore fœda. *Cæl.l.17.c.8.A.L.*

Alba Latinorum urbe multoties ad noxiorum cuſtodiam uſi ſunt Romani, quod ager ipſe in profundo locatus ſit, & quaſi vallo circumſeptus, in ea carcerandos includentes. *Strabo lib.5.*

Ἀγκὼν, Ancon (id eſt, cubiti flexus) domicilium fuit in aula regia Gilimeris Vandalorum regis obſcuriſſimum (quòd genus Roconas vocant Carthaginenſes) in quod coniiciebantur omnes, quibus tyrannus infenſus erat. Eo in loco, cum à Beliſario urbs fuit capta, multi orientales mercatores incluſi erant: eo temporis articulo à cuſtode carceris emiſſi. *Suid. & Cæl. l.17.c.9. & l.4.c.3. A.L.*

Barnabas Vicecomes laxos Carceres Mediolani inſtituit, in quo egeſtatis ultimæ debitoribus, & extra capitalem pœnam damnatis alimenta gratuita præſtentur. *Paulus Jovius in ejus vita.*

Galeacius Vicecomes, Matthæi Magni F. à Marco fratre apud Ludovicum Bavarum Cæſarem Mediolani de tyrannide accuſatus, in arce Medoetiana teterrimo carceri traditus fuit, non omnino iniqua ſorte, ut fabrefacti paulò antè ab ſe tetri carceris Furnum (ita à depreſſa teſtudine vocatum) primus experiretur, quem adverſarum partium captivis ad pœnam paraviſſet. *Idem.*

☞ *Quære Tit. de Morte. Mortui in carcere. Item Tit. de Patientia. tolerantia carcerum. Loca carcerum. Tit. de Loco.*

CARCERE LIBERATI.

☞ *Vide locum de Libertate, ubi luculenter hic titulus expenditur.*

QUO MODO. Puta.
Aſtu, & Induſtria.

* Hugo Grotius Batavus, vir politioris litteraturæ, quàmvis educatus inter Calvinianæ factionis, ſectæque magiſtros; & variis muneribus cum laude perfunctus apud ſuos, nuper anno 1620. ob ſiniſtram ſuſpicionem perduellionis, ab eiſdem quos tamen longo, & nimis fido obſequio ſibi devinxerat; vinculis, quæ non niſi cum vita ſolverentur, traditus, & ad arcem in finibus Hollandiæ perductus fuit, militumque cuſtodiæ traditus. Qui licèt Argi inſtar, in omnes, qui etiam indulto Ordinum accedebant, circumſpicerent, feſellit tamen eorum vigilantiam Grotii induſtria, & ſolertia. Quippe in moleſto illo otio Muſas ſuas ſubinde repetebat, eumque in finem frequentius arculam, quam ex compoſito uxor ad corporis maritalis menſuram fabricari juſſerat, libris repletam ultrò citroque deferri curabat, ſic ut milites ipſius cuſtodiæ deputati, & crebriore ejuſdem arculæ, quam librariam eſſe didicerant, elatione aſſuefacti, nulla indagine prævia, eam tuto admitterent, & remitterent. Quam opportunitatem nactus Grotius, uxore, & famula conſciis, & ſcenam hanc dextrè, ac ex fide adornantibus, ſimulata ægritudine, quam etiam adeſſe cuſtodes æſtimabant; in præfatam arculam ſe immittit, membra componit, & per vigiles famula comite elabitur. Quæ ocius dulce onus herum ſuum ad navem defert, advocato verò, qui auxiliatricem manum admoveret, bajulo, inde Gorcomium ſe transfert ad notam domum, arcæque clauſtro laxato, Grotium penè ſemianimem, nam pluribus horis incluſus ægrè ſpiritum attraxerat; educit. Qui liber jam, ignotus, habituque perſonato in Brabantinam Campaniam primum, dein Antuerpiam devenit. Recuperatam libertatem eidem reduci gratulatus fuit hoc Epigrammate *Franc. de Montmorancii è Societ. Jeſu.*

Jure tuæ libros colis inſtrumenta ſalutis,
Et tibi præcipuo ſunt in amore loco.
Fecit enim Groti, creber dum fertur in Arca,
Effertur que liber, liber ut eſſe queat.
Debeat effugium ceratis Dædalus alis;
Jura tibi libris ipſe reperta refer.
Hac libertati fueris quòd redditus arte,
Gratulor; hæc voti pars erat una mei.
Pars habet hæc finem; pars altera debet habere,
Romanis quando reſtituere ſacris.

Sed quando? Luſit in eundem ita reſtitutum *Laurent. Beyerl.* Archipresbyter Antuerpienſis, cognominis juxta Belgicum etymon (Grontius enim à Groot, quòd magnum ſignificat; deducitur) ejuſdem antitheton deſcribens, verſu hoc in calore famigerationis fuſo. Indignum enim videbatur, ſi carmen diu premeretur, quod in Grotii inexſpectatam libertatem currebat.

GROOTI, *dum parva latitas reſupinus in arca,*
Membraque componis cernuus arte nova.
Nomine dumtaxat mihi Grootius eſſe videris,
Parva quidem magnum non capit arca virum.
Haud ita Grootius es fama, virtute, togaque:
Grootius ut maneas ciſta doloſa vetat.
Grootius es igitur, nec Grootius euge vetuſtas!
Quæ facis, ex Grootio nè maneat Grootius.

*INCARCERATORUM PIA REDEMPTIO.

EX SACRA SCRIPTURA.

Cùm audiſſet Abraham, captum Loth fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo, & perſecutus eſt uſque Dan: Et diviſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos uſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damaſci. Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum, cum ſubſtantia illius, mulieres quoque, & populum. *Gen.14.*

EXEMPLA HISTORICA.

Aldephonſum Hiſpaniæ Regem Sanctius frater ejus regno privaverat, captum, & catenatum carceri mancipaverat. Illi verò pius Hugo compatiens, pro eo apud Dominum precibus inſiſtebat, & Apoſtoli confidens meritis, à Domino eum abſolvi poſcebat. Nec mora: beatus Petrus Apoſtolus cuidam fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Aldephonſi ereptione Deum admiſiſſe revelavit; fecit etiam Aldephonſo illud in carcere nunciari. Porrò Sanctio in ſomnis ſub gravi comminatione præcepit, ut citò Aldephonſum reſtitueret, nec differre auſus eſſet. Sanctius terrore correptus ſtatim reſtituit Aldephonſum: reſtitutus ille, Deo & liberatori ſuo Hugoni gratias egit, cenſumque, quem pater ſuus Ferdinandus Rex quotannis Cluniacenſi monaſterio ſolvendum inſtituit, ipſe duplicavit, ducentas, & quadraginta auri uncias annuatim reddens. *In vita Hugonis Abb. apud Sur.*

Cùm ſævientium Wandalorum tempore fuiſſet Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique eſſent de hac terra in Aphricam regionem traducti, vir Domini Paulinus cuncta, quæ ad Epiſcopii uſum habere potuit, captivis indigentibuſque largitus eſt. Cùmque jam nihil omnino ſupereſſet, quod petentibus dare potuiſſet, quodam die quædam vidua advenit, quæ à Regis Wandalorum genero filium ſuum in captivitatem fuiſſe ductum perhibuit, atque à viro Dei ejus pretium poſtulavit, ſi fortè illius Dominus dignaretur hoc accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti fœminæ, quid dare potuiſſet inquirens, nihil apud ſe aliud niſi ſe invenit, petentique fœminæ reſpondit, dicens: Mulier, quòd poſſim non habeo, ſed memet ipſum tolle, ſervum me tui juris eſſe profitere, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in ſervitium trade. Quòd illa ex tanti viri audiens ore, irriſionem potiùs credidit, quàm compaſſionem; at ille, ut erat vir eloquentiſſimus, atque apprimè exterioribus quoque ſtudiis traditus, dubitanti fœminæ citiùs perſuaſit, ut audita crederet, & pro receptione filii ſui in ſervitium tradere Epiſcopum non dubitaret. Perrexere ergo utrique ad Aphricam. Procedente autem regis genero, qui ejus filium habebat, rogatura vidua ſe obtulit, ac priùs petiit, ut ei filium donare debuiſſet. Quod cùm vir barbarus typo ſuperbiæ turgidus, gaudio tranſitoriæ felicitatis inflatus, non ſolùm facere, ſed etiam audere deſpiceret, vidua ſubjunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, ſolummodo pietatem in me exhibe, mihique unicum filium redde. Cùmque ille venuſti vultus hominem conſpexiſſet, quam artem noſſet, inquiſivit. Cui vir Dei Paulinus reſpondit, dicens: Artem aliquam neſcio, ſed hortum bene excolere ſcio. Quòd vir gentilis valde libenter accepit, cùm in nutriendis oleribus quia peritus eſſet, audivit. Suſcepit itaque ſervum, & roganti fœminæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Aphricana regione diſceſſit. Paulinus verò excolendi horti ſuſcepit curam. Cùmque idem regis gener crebrò ingrederetur hortum, ſuumque hortulanum quædam requireret, & ſapientem valde hominem videret, amicos cœpit familiares deſerere, & ſæpius cum ſuo hortulano colloqui, atque ejus ſermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad menſam olera, virenteſque herbas deferre conſueverat, & accepto pane ad curam horti remeare. Cùmque hoc diutius ageret, quadam die ſuo Domino ſecum ſecretiùs loquenti ait: Vide quid agas, & Wandalorum regnum qualiter diſponi debeat, provide; quia Rex citius, & ſub omni celeritate eſt moriturus. Quod ille audiens, quia ab eodem rege vehementius præ cæteris diligebatur, ei minimè tacuit: ſed quid à ſuo hortulano, ſapienti ſcilicet viro, agnoviſſet, indicavit. Quod dum Rex audiſſet, illico reſpondit: Ego vellem nunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener ejus, venerabilis Paulini temporalis Dominus, reſpondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre conſuevit. Has itaque ad menſam eum deportare facio, ut quis ſit, qui mihi hæc eſt locutus, agnoſcas. Factumque eſt. Et dum Rex ad prandendum diſcubuit, Paulinus ex ſuo opere olera quæque, & virentia delaturus advenit. Cùmque hunc Rex ſubitò conſpexiſſet, intremuit, atque accerſito ejus Domino ſibi per filiam propinquo, ei ſecretum, quòd prius abſconderat, indicens: Verum eſt, quod audiſti: nam nocte hac in ſomnio, ſedentes in tribunalibus coram me judices vidi, inter quos iſte etiam ſimul ſedebat, & flagellum, quòd aliquando acceperam, eorum mihi judicio tollebatur. Sed percontare quiſnam ſit, nam ego hunc tanti meriti virum popularem, ut conſpicitur, eſſe non ſuſpicor. Tunc regis gener ſecretò Paulinum tulit, & quiſnam eſſet inquiſivit. Cui vir Domini reſpondit: Servus tuus ſum, quem pro filio viduæ vicarium ſuſcepiſti. Cùmque inſtanter ille requireret, ut non quis eſſet, ſed quis in terra ſua fuiſſet, indicaret; atque hoc ab eo iteratione frequentis inquiſitionis exigeret; vir Domini conſtrictus magnis conjurationibus, jam non valens negare quis eſſet, Epiſcopum ſe fuiſſe teſtatus eſt. Quod poſſeſſor ejus audiens valdè pertimuit, atque humiliter obtulit dicens: Pete, quod vis, quatenus ad terram tuam à me cum magno munere revertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Unum eſt quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes civitatis meæ captivos relaxes. Qui cuncti protinus in Africa regione requiſiti, cum onuſtis frumento navibus pro venerandi

viri Paulini ſatisfactione in ejus comitatu laxati ſunt. Poſt A multos verò dies Wandalorum rex occubuit, & flagellum, quod ad ſuam perniciem diſpenſante Deo pro fidelium diſciplina tenuerat, amiſit. Sicque factum eſt, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret: & qui ſe in ſervitium ſolùm tradiderat, cum multis à ſervitio ad libertatem rediit, illum videlicet imitatus, qui formam ſervi aſſumpſit, ne nos eſſemus ſervi peccati. Cujus ſequens veſtigia Paulinus ad tempus voluntariè ſervus factus eſt ſolus, ut eſſet poſtmodùm liber cum multis. *S. Gregor. lib. 1. dialog. c. 1. Auguſt. lib. 1. de Civit. cap. 10.*

Quid in virtute Domini venerandus vir Sanctulus exteriùs fecerit, audi ex virtute Domini, qualis interiùs fuit. Die enim quadam à Longobardis captus quidam Diaconus tenebatur ligatus, eumque ipſi, qui tenuerant, interficere cogitabant. Adveſperaſcente autem die vir Dei Sanctulus ab iiſdem Longobardis petiit, ut relaxari, eique vita concedi debuiſſet: quod poſſe ſe facere omnino negaverunt. Dumque mortem illius deliberaſſe eos cerneret, petiit, ut ſibi ad cuſtodiam tradi debuiſſet. Cui protinus reſponderunt: Tibi quidem eum ad cuſtodiendum damus, ſed ea conditione in- B terpoſita, ut ſi iſte fugerit, pro eo ipſe moriaris. Quòd vir Domini libenter accipiens, prædictum Diaconum in ſuam ſuſcepit fidem, quem nocte media, cùm Longobardos omnes gravi ſomno preſſos aſpiceret, excitavit, & ait: ſurge, & concitus fuge: liberet te omnipotens Deus. Sed idem Diaconus promiſſionis ejus non immemor, reſpondit dicens: Fugere, pater, non poſſum: quia ſi ego fugero, pro me ſine dubio ipſe morieris: quem vir Domini Sanctulus ad fugiendum compulit, dicens: Surge, & vade, te omnipotens Deus eripiat. Nam ego in manu ejus ſum, tantùm in me poſſunt facere, quantum ipſe permiſerit. Fugit itaque Diaconus, & quaſi deceptus in medio fidejuſſor remanſit. Facto igitur mane, Longobardi, qui Diaconum ad cuſtodiendum dederant, venerunt, quem dederant petierunt; ſed hunc venerandus presbyter fugiſſe reſpondit: Tunc illi inquiunt: Scis ipſe meliùs quid convenit. Servus autem Domini conſtanter ait: Scio. Cui dixerunt: Bonus homo es, nolumus te per varios cruciatus mori, elige tibi mortem, quam vir Domini reſpondit dicens: In manu Dei ſum, heu morte me occidite, qua me occidi permiſerit. C Tunc omnibus, qui illic aderant, Longobardis placuit, ut eum capite truncare debuiſſent, quatenus ſine gravi cruciatu vitam ejus compendioſa morte terminarent. Cognito itaque quòd Sanctulus, qui inter eos pro ſanctitatis reverentia magni honoris habebatur, occidendus eſſet: omnes qui in eodem loco inventi ſunt Longobardi convenerunt, ſicut ſunt nimiæ crudelitatis, læti ad ſpectaculum mortis. Circumſteterunt itaque acies. Vir autem Domini deductus in medium eſt, atque ex omnibus viris fortibus electus eſt unus, de quo dubium non eſſet, quin uno ictu caput ejus abſcinderet. Venerandus igitur vir inter armatos deductus ad ſua arma ſtatim cucurrit: nam petiit ut paululùm orandi ſibi licentia daretur. Cui dum conceſſum fuiſſet, in terram ſe ſtravit, & oravit. Qui dum paulo diutius oraret, hunc electus interfector calce pulſavit, ut ſurgeret, dicens: Surge, & flexu genu intende cervicem: Surrexit autem vir Domini, genu flexit, cervicem tetendit: ſed tenſo collo eductam contra ſe ſpadam intuens, hoc unum publicè fertur dixiſſe: Sancte Joannes ſuſcipe illam. Tunc electus carnifex D evaginatum gladium tenens, niſu forti brachium in altum percuſſurus levavit, ſed deponere nullo modo potuit; nam repentè obriguit, & erecto in cælum gladio brachium inflexibile remanſit. Tunc omnis Longobardorum turba, quæ ad illud mortis ſpectaculum aderat, in laudis favorem converſa mirari cœpit, utrumque Dei cum timore venerari, quia profectò claruerat, cujus ſanctitatis eſſet, qui carnificis ſui brachium in aere ligaſſet. Itaque poſtulatus, ut ſurgeret, ſurrexit; poſtulatus ut brachium ſui carnificis ſanaret, negavit, dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, niſi mihi ante juramentum dederit, quia cum iſta manu Chriſtianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem, qui (ut ita dicam) brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna ſua exigente compulſus eſt jurare, ſe Chriſtianum hominem numquam occidere. Tunc vir Domini præcepit dicens: Tolle manum deorſum, qui ſtatim depoſuit: atque illico adjunxit: Remitte gladium in vaginam, & ſtatim remiſit. Omnes ergo tantæ virtutis hominem cognoſcentes, & jumenta, quæ deprædati fuerant, certatim ei offerre in munere volebant. Sed vir Domini tale munus recipere noluit, munus autem bonæ mercedis quæſivit, dicens: Si mihi aliquid vultis concedere, omnes captivos, E quos habetis, mihi tribuite, ut habeam, unde pro vobis orare debeam. Factumque eſt, & omnes captivi cum eo dimiſſi ſunt, atque ſuperna gratia diſponente, cùm ſe unus pro uno morti obtulit, multos à morte liberavit. *Greg. lib. 3. dialog. cap. 37.*

Temporibus imperii Tiberii fideliſſimi Cæſaris aſcendimus Oaſim, vidimuſque magnum illic in divinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem, nomine autem Leonem. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem pertingentes ad illius familiare colloquium, magnumque experimentum capientes ſancti viri hujus, magnificè ædificati ſumus, & maximè in humilitate ejus, & ſilentio, & nuditate rerum omnium, & charitate, quam ad omnes habuit. Dicebat ergo ſemper venerabilis ſenex: Credite mihi, filii, quia regnare debeo. Nos autem dicebamus; Crede nobis Abba Leo, quia nullus ex Cappadocia unquam regnavit: importunam ergo habes iſtam cogitationem. Ille verò rurſus dicebat: Veraciter, filii, regnare habeo. Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione removere. Cùm autem veniſſet Mazices, & uni- F verſam provinciam illam devaſtaſſet, ac diripuiſſet Phocas Imper. venerunt in Oaſim, & monachos quidem plures occiderunt, plurimoſque captivos duxerunt: inter quos acceperunt & Abbatem Joannem (fuerat autem hic Lector magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ) & Abbatem Euſtathium Romanum, & Abbatem Theodorum Cilicem (erant autem tres infirmantes) Cùm ergo vincti fuiſſent, ait Abbas Joannes Barbaris: Ducite me in civitatem, & faciam, ut Epiſcopus det pro nobis numiſmata viginti quatuor. Accepit ergo illum unus ex barbaris, & duxit prope civitatem, ingreſſuſque eſt Abbas Joannes ad Epiſcopum; inventus autem eſt in urbe & Abbas Leo, & alii quidam patrum, atque ideò tenti non fuerant. Ingreſſus igitur Abbas Joannes cœpit orare Epiſcopum, ut barbaro numiſmata daret. Epiſcopus autem non plura, quàm octo numiſmata habere inventus eſt. Voluerunt ergo dare barbaro octo numiſmata, & noluit accipere, dicens: Aut viginti quatuor numiſmata præbete mihi, aut monachum date. Coacti ſunt, qui erant in civitate, rurſum Abbatem Joannem dare barbaro flentem, & ejulantem. Adduxit autem illum barbarus in tabernacula ſua. G Poſt tres autem dies ſumptis octo numiſmatibus Abbas Leo in eremum exiit, ubi erant barbari, oravitque illos, dicens: Accipite mecum octo numiſmatibus, & tres illos dimittite, qui infirmi ſunt, neque pergere per eremum poſſunt: nam interficietis eos, & detrimentum patiemini: ego verò ſanus ſum, & ſerviam vobis. Tunc barbari acceperunt Abbatem Leonem, & octo numiſmata, & dimiſerunt illos tres. Abiit ergo Abbas Leo uſque ad quendam locum, & cùm præ debilitate ultra pergere non poſſet, barbari decollaverunt eum: implevitque Abbas Leo ſcripturam dicentem: Ut ponat animam ſuam quis pro amicis ſuis, majorem hac dilectionem nemo habet. Tunc nos quoque cognovimus, quidnam eſſet quod dixerat: Quia regnare habeo. Veraciter enim regnavit, quia poſuit animam ſuam pro amicis ſuis. *Cæſar. Baron. ad ann. 586. ex Prat. Spirit. cap. 112.*

Opportunè adiiciendum ducimus, quòd paulò pòſt Imperatore Mauritio, rurſum barbarorum incurſione contigiſſe idem auctor tradit his verbis: Dicebat & hoc nobis de H Abbate Nicolao Abbas Jordanes: Narravit, inquit, ſenex, quia imperante fideliſſimo Imperatore Mauritio, quando Namanes Saracenorum nationis dux prædam egit: Cùm circuirem ego per Arnonem & Aidonem, aſpicio Saracenos tres habentes ſecum unum adoleſcentem formoſum valde, annorum fermè viginti, vinctum, atque captivum. Ut ergo vidit me adoleſcens, flere cœpit, & orare, ut ab eis illum acciperem. Ego autem Saracenos rogare cœpi, ut dimitterent eum. Unus autem illorum ſermone reſpondit Græco, & ait: Non dimittemus eum. Et ego rurſum dixi illis: Accipite me, & hunc dimittite, quia fatigationem non ſuſtinet. Ait mihi & ipſe rurſum: Non dimittemus eum. Dixit eis tertiò: Vel precium pro illo non accipitis? Date mihi illum, & quidquid petieritis, afferam vobis. Reſpondit: Non poſſumus tibi dare illum. Sacerdoti enim noſtro promiſimus, quia ſi quid pulchrum ceperimus, offeremus illud ei, ut ipſum in ſacrificium offerat. Sed vade jam: nam ſi moram feceris, caput tuum in terram projiciam. Tunc proſtratus ego humi dixi: Salvator noſter Chriſte Deus,

Deus, ſalvum fac ſervum tuum. Et continuò tres Saraceni A dæmonio repleti evaginatis gladiis ſe ipſos conciderunt: aſſumenſque ego adoleſcentem in ſpeluncam meam refovi illum, qui noluit diſcedere à me, ſed renuncians ſæculo, cùm ſeptem annos impleſſet in habitu monaſtico requievit; erat enim genere Tyrius. *Ex Sophronico c. 155.*

Erat in civitate Amidenſi Epiſcopus, Acajus nomine, quem tum facinus pulchrum omnibus illuſtriorem, atque clariorem reddidit. Cùm enim exercitus Romanus, Azazena regione vaſtata, ſupra ſeptem millia Perſarum cepiſſent, eoſque nullo modo Perſæ redimere vellent, atque illi paulatim fame afflicti interirent, eaque res nōn parum moleſtiæ Regi afferret; Acacius ea re cognita, non ita prætermittendum cenſuit, ſed qui ſub eo erat, clero coacto: Deus, inquit, noſter, filioli, neque diſcis indiget, neque pocula curat. Egeſtati enim minimè obnoxius, non edit, neque bibit. Cùm igitur multa ſint Eccleſiæ ejus donaria, aurea quidem plurima, multa etiam argentea, quæ benignitate, & liberalitate eorum, qui ſe ad eam contulerunt, paravit, utendum eis cenſeo ad Perſas captivos redimendos, & famelicos alendos. Hæc, atque alia hiſce ſimilia locutus, ſtatim divina illa donaria con- B flavit, atque ex eis æſtimationem militibus, quæ eis viſa fuerat, perſolvit, & captivos recepit: deinde alimentis eos abundè refectos, viatico eos etiam proſecutus, ad regem ſuum miſit. Id Epiſcopi factum plurimùm Perſarum regem ad conſternationem adegit: quod Romanis utrumque hoc ſtudio eſſet, ut ſimul & bello, & benefactis egregiè vincerent. *Niceph. Call. l. 14. Eccl. hiſt. c. 22. Socrat. l. 7. c. 21. Tripar. 11. c. 16. Uſuard. Appen. ad Martyrol. anno 424.*

Cùm Deo-Gratias conſtitutus eſſet Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, factum eſt, peccatis urgentibus, ut urbem illam quondam nobiliſſimam, atque famoſam decimoquinto regni ſui anno caperet Romam Genſericus. Et ſimul exinde regem multorum divitias cum populis captivavit. Quæ dum multitudo captivitatis Africanum attingeret littus, dividentibus Vandalis, & Mauris ingentem populi quantitatem, ut moris eſt barbaris, mariti ab uxoribus, liberi à parentibus ſeparabantur. Statim ſategit vir Deo plenus, & charus Deo gratias, univerſa vaſa miniſterii aurea, vel argentea diſtrahere, & libertatem de ſervitute barbarica liberare, & ut conjugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderentur: & quia loca nulla ſufficiebant ad capeſſendam multitudinem C tantam, baſilicas duas nominatas, & amplius, Fauſti, & Novarum eorum lectulis, atque ſtraminibus deputavit, decernens per ſingulos dies, quantum quis pro meritò acciperet. Et quia pleroſque inſuetudo navigii, & crudelitas captivitatis affixerat, non parvus inter eos fuerat numerus ægrotorum, quos ille beatus Antiſtes, ut nutrix pia, per momenta ſingula cum Medicis circuibat, ſequentibus cibis, ut inſpecta vena, quid cui opus eſſet, illo præſente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere miſericordiæ feriabatur, ſed pergebat excurrens per ſingulos lectos, ſuſcitans qualiter ſe quiſque haberet: ita ſe tradiderat omnino labori, ut nec defeſſis membris, nec carioſæ jam ſenectuti parceret. *Victor. Uticenſis lib. 1. hiſt. Vandal. & Sur. 17. Oct. apud Baron. tom. 6. Annal. ann. 455.*

Arelatem Gothis cum innumera captivorum turba revertentibus, replentur ſacræ baſilicæ, replentur Eccleſiæ domus fidelium multitudine: & cùm multa inopia laborarent, quæ ad victum, veſtitumque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus Cæſarius, donec ab ipſo omnes eſſent redempti argento, quod venerabilis Eonius anteceſſor ejus Eccleſiæ menſæ D reliquerat, obſervans illud, quòd Dominus in paropſide intinxit panem, non in vaſe argenteo: diſcipuliſque præcepit, ne poſſiderent aurum, vel argentum. Hoc autem ſanctum opus ita proſecutus eſt, ut etiam ab illis, quæ ad divini myſterii diſpenſationem pertinent, non abſtineret, thuribulis calicibus, patenis argenteis, dicebat enim: Ne homo rationalis Chriſti ſanguine redemptus, amiſſa libertate, & dura preſſus ſervitute, aut Arianus efficiatur, aut Judæus, aut ex ingenuo ſervus, aut ex libero ſervus. Ornavit igitur, & defendit; non deformavit Eccleſiam: patere voluit filiis viſcera matris, non præcludi; hoc ſæpiſſimè dicens: Velim reſpondeant mihi plerique domini Sacerdotes, & reliqui de clero, qui neſcio quo ſuperfluitatis amore, volunt dare inſenſibile argentum, & aurum ex Chriſti domatis, pro mancipiis Chriſti: Velim, inquam, dicant mihi, ſi aliquo caſu ipſi in eam calamitatem inciderent, vellentne ejuſmodi inſenſibilibus donariis in libertatem vindicari; aut potiùs ſacrilegii loco haberent, ſi quis ex eis divinis munuſculis ſubveniret? Equidem non puto id ingratum eſſe Deo, de ſuo miniſterio redemptionem parari, qui ſe ipſum pro hominibus redimendis dedit. Sed E hoc quoque nomine in beatum virum invidiæ facibus inflammatus Sathan, in eum accuſatione conficta id effecit, ut Ravennam uſque ſub cuſtodia pertraheretur ad Theodoricum Regem: ut impleretur etiam in illo, quod habet ſcriptura divina: Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Venit ergo in palatium ad Theodoricum Regem, eumque intrepidè ſalutat. Cernens Rex eum nihil formidantem, & aſpectu venerabilem, reverenter ei aſſurgit, eumque depoſitis capitis ornamentis clementer reſalutat. Deinde placidè ſciſcitatus ab eo de labore itineris, de Gothis ſuis, & Arelatenſibus. Poſteà egreſſo ſancto Pontifice, Rex ad ſuos ait: Non parcat illis Deus, qui tantæ ſanctitatis, & innocentiæ virum fruſtrà compulerunt tam prolixum iter conficere. Quantus enim ille ſit, vel hinc liceat animadverti, quòd cùm ad ſalutandum me ingrederetur, totus contremui, vidique in eo Angelicum vultum, vidi virum Apoſtolicum, prorſus nefas puto de tam venerabili viro quidquam durius ſtatuere, aut malè de eo ſentire. Deinde verò beato viro in hoſpitium ingreſſo, miſit idem Rex magni pretii diſcum argenteum librarum plus minus ſexaginta, & cum eo ſolidos trecentos; juſſitque illi F ſic dici: Accipe, ſancte Epiſcope; rogatque te filius tuus Rex, ut vaſculum iſtud pro munere tua beatitudo dignetur ſuis uſibus pro ipſius memoria reſervare. At vir ſanctus, qui præter cochlearia nihil unquam argenti ad menſæ ſuæ uſum adhiberi paſſus erat, tertiò inde die per miniſtros ſuos diſcum prius æſtimatum juſſit publicè vendi, cujus pretio multos redemit captivos. Illicò Regis ſatellites ad eum referunt, ſe vidiſſe regium munus palàm proſtare, eoque diſtracto ſanctum Epiſcopum multos è captivis liberaſſe. Tam enim ad ejus hoſpitium confluebat ingens pauperum multitudo, ut præ miſerorum ſuas calamitates exponentium denſitate, vix ad ſalutandum eum pateret acceſſus. Vidimus verò etiam per plateas miſerorum immenſos greges curſitare, euntium ad virum Dei, atque revertentium. *Baronius to. 6. Annalium anno Chriſti 508. ex Surio in vita S. Cæſarii à Cypriano ejus diſcipulo conſcripta capite 14. & 15. 27. Auguſtin. tom. 4.*

Sanctus Rembertus Archiepiſcopus Bremenſis, bonis pænè cunctis, quæ habebat, ad redemptionem captivorum expenſis, cùm multorum adhuc apud infideles detentorum calamitatem cernere cogeretur, etiam ſacri altaris vaſa ob illos G redimendos impendere non dubitavit; qua in re dum quibuſdam minùs ſublimiter intelligentibus non rectè feciſſe videretur, quaſi in alios uſus converteret, quæ ſacris eſſent deputata miniſteriis, & à quodam interrogatus eſſet, cur id faceret, juſta ratione ſciſcitanti ſatisfaciens: Non ignoro, inquit, res Eccleſiaſtici officii dignè tractandas, & ſub magna obligatione ad hoc opus eſſe depoſitas. Veruntamen plus eſt apud Deum, per eas ſubveniri captivis Chriſtianis in anguſtia conſtitutis, quàm eſſe queat depoſitum eas cuſtodiendi: cùmque incumbit neceſſitas è duobus bonis alterum eligendi, altero carendi, præferendum eſt illud, quod eſt præſtantius, & id, quod inferius eſt, relinquendum. Unde etiam ego, ait, cùm nullum ſuppetit conſilium aliud, non ſum arguendus impietatis, ſi Chriſtianum, qui filius Dei eſt, theſauris Eccleſiæ redimo: quandoquidem ſemper invenire poſſumus, quod ad uſum ſacri miniſterii ſufficiat: irrecuperabilis verò damni eſt, ſi Chriſtianus in captivitatis afflictione deficiat. Exempli autem cauſa unum aliquod ejus factum commemoremus, in quo ſanè non minùs potentia miraculi, quàm miſericordiæ opus effulſit. Cùm veniſſet quandoque ad partes Sclavorum, H ubi novellam recens ad Chriſtum converſorum Eccleſiam extructam habebat in loco, qui dicitur Sleſuvicum, vidit multitudinem Chriſtianorum in catenis captivam teneri: inter quos quædam virgo Deo ſacrata, ut eminus illum conſpexit, tam genu flectendo, quàm caput crebrò inclinando, tum honorem illi exhibere, tum illius miſericordiam pro ſui liberatione implorare videbatur: atque ut ipſam intelligeret eſſe Chriſtianam, ſublata altiùs voce, cœpit cantare Pſalmos. Tum Epiſcopus miſeratione commotus, cum lacrymis rogabat Deum, ut illi opitularetur: ad cujus preces mox dirupta eſt catena, qua ad collum vincta tenebatur: ne tamen poſſet effugere, facilè impediebant gentiles illi, inter quorum manus habebatur. At Epiſcopus pro ejus ereptione anxius, detinentibus eam paganis, complura diverſi generis pretia pro illa obtulit, verùm illi nullam accipiebant conditionem, niſi eam ſolam, ut equum, quo ipſe ſedere conſueverat, ipſis daret. Quod ille vir pius, & miſericos non detre-

detrectans, & repentè de equo deſiliens, totum illum cum A omnibus ad eum pertinentibus pro captiva dedit, redemptamque libertate donavit, poteſtatem illi faciens, quò vellet, abeundi, ex uno opere geminum ſuæ laudis, & virtutis monumentum relinquens, quod & efficacia orationis ſuæ catenam confregit, & tam egregium miſericordiæ opus declararit. *Refert ex Surio Auroiltius in Catechiſmo hiſt.*

Anianus Epiſc. Aurelianenſis cùm pro inauguratione cum ſolennitate urbem eſſet ingreſſurus, petiit ab urbis præfecto Agrippino, ut captivos omnes ſibi dono daret. Quòd cùm Agrippinus recuſaret, ex ruina lapidis ex alto cadentis graviter vulneratus eſt. Senſit illicò ea cauſa id accidiſſe, quod Epiſcopi preces rejeciſſet. Mittit ergo, jam à famulis reportatus in domum ſuam, qui Epiſcopum vocent: Mors enim propter nimiam ſanguinis effluxionem jam impendere videbatur. Venit Epiſcopus, manu ſua vulneri Crucis ſignum imprimit, ſanguis ſiſtitur, redeunt vires propè jam deplorato, aperiuntur carceres, & coeunt miſeri, beati Aniani Epiſcopi interceſſione in libertatem vindicati. *Sur. tom. 6. Novemb.* 17. *Vincen. l.* 19. *cap.* 12.

B

Cardinales. Cardinalatus.

Illorum Instiutio, Dignitas.

SUmma dominici gregis paſcendi cura Presbyteris olim incumbebat. Et ne ea adminiſtratio in promiſcuo eſſet, Evariſtus pontifex primus omnium titulos ipſis diviſit Presbyteris, ſeptemque Diaconos conſtituit. Deinde anno Salutis CCLXVII. Dionyſius tam urbis Romæ, quàm aliarum gentium templa, cœmeteria, & parochias diviſit, Epiſcopis diœceſes diſtribuit, mandavitque, ut ſuis quiſque finibus contentus eſſet. Nec ita multò poſt Marcellus titulos urbis ab Evariſto primùm Presbyteris datos numero limitavit, decreto ſtatuens quinque, & viginti, ac quaſi diœceſes eſſe, ad baptizandum eos, qui ex gentibus externis in Chriſtianorum cœtum quotidie venirent, & ſepeliendum mortuos. Hi ab initio Cardinales dicti fuere, excellentioris epitheti gratia, perinde ac ſolanum, favonium, auſtrum, & ſeptentrionem ventos cardinales, id eſt, primarios appellamus, veluti altiſſimæ partes cœli vocitantur cardines, quòd circa illos mundus circumferatur, & ad ſimilitudinem eorum nuncupentur cardi- C nes, circa quos valuæ volvuntur. Non fuit item aliquandiù deinde aliud eſſe Cardinalem, niſi ante alios habere curam animarum. Id quod ex *D. Gregor. epiſt.* colligere licet, in quibus Epiſcopum alium viſitantem, alium Cardinalem facit, quod hic apud ſuum gregem ſemper reſideret, ille verò hinc inde vagans Eccleſias viſitaret. Verùm poſteà Bonifacius tertius, Cardinales uti Senatores urbanos mirificè extulit. Ac ita, quod principio prorſum oneri fuit, ſummo tandem honori eſſe cœpit: paulatimque inter contentiones Imperatorum, ac populi Rom. de pontifice creando ſæpius ortas, prærogativam, juſque ipſius pontificis eligendi conſecuti ſunt: adeò ut Innocentius IV. circa annum Salutis MCCXLIV. publico decreto ſanxerit, ut equo deinceps inſidentes rubro uterentur galero, quo major adhuc ordini accreſceret majeſtas: argumento tamen manifeſto, oportere ejus ordinis antiſtites ſemper eſſe paratos pro religionis defenſione ſanguinem effundere. Dedit poſteà Paulus ſecundus veſtem coccineam cucullo inſignem, hoc eſt, lacernam (ita veteres appellaſſe indicamus) ut hæc etiam cùm rubenti petaſo ordinis inſignia forent, quæ pictores deinde etiam D. Hieronymo impartiti ſunt, quia di- D citur Romanus fuiſſe presbyter. Is autem ordo ex triplici initiatorum genere conſtat: ſunt enim, aut Epiſcopi, & ii quidem numero ſex, Oſtienſis, Sabinenſis, Portuenſis, Tuſculanus, Præneſtinus, & Albanenſis: aut presbyteri, aut diaconi. *Polyd. l. 4. c. 9. de Rerum invent.*

De electione autem Romani Pontificis per Cardinales tractatur in *Loco de Romano Pontifice*.

* Origo Nominis Cardinalis.

Varii varia ſentiunt. Probabile eſt, quod ſcribit *Rob. Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 16.* nomen Cardinalis impoſitum à loco primùm fuiſſe, & ita derivatum ad Perſonas. Dicebantur namque tituli Cardinales, Eccleſiæ principaliores, in quibus conferebatur baptiſmus. Et qui eam regebat, dicebatur Presbyter Cardinalis. Pari modo erant Diaconiæ Cardinales, loca principalia in Urbe, diſtincta juxta numerum Regionum: quique in illis reſidebant Diaconi, vocabantur Diaconi Cardinales, idque ab Eccleſia Cardinali. Et conſtat *ex Conc. Meldenſi cap.* 54. E

* Officia Cardinalium.

Cùm omnes Cardinales, aut Presbyteri ſint, aut Diaconi, aut Epiſcopi, habent cum iis commune officium. II. iis competit eligere ſummum Pontificem. Ita tamen ut duæ partes eorum, qui in conclavi præſentes ſunt, ſuffragia conferant in electum: neque poteſt unus abſens alteri ſuffragium demandare. III. Aſſiſtunt Pontificis conſilio, & induſtria ſua in regimine Eccleſiæ. Poteſt tamen ſummus Pontifex etiam maximè ardua Eccleſiæ negotia peragere ſine conſenſu Cardinalium. Habet namque poteſtatem ſuam, eamque ſummam à Chriſto immediatè. Olim autem cùm eſset numerus rarior, ad electionem Epiſcoporum, & Concilia vocabantur, verum creſcente eorum multitudine, principaliores ad ea deputabantur. Id conſtat ex Synodo *Greg. lib. 4. Regiſtr. c.* 88. cui tantùm interfuerunt XXXIV. & ii omnes Titulares, hoc eſt Cardinales IV. Cardinales ſubſerviunt ſummo Pontifici, quoties ſolenniter divina peragit officia, unde Epiſcopi Cardinales, qui ſunt numero ſex, ut initio hujus tituli dictum eſt; F ſunt velut vicarii Papæ, & ſuccedunt ſibi invicem per optionem in locum aliorum demortuorum. Ita *Barth. Caſſ. 4. 4. p. Cat. gloriæ mundi, conſideration.* 12.

CARDINALIUM GENERA, NUMERUS, Et Differentiæ.

Cardinalium alii ſunt Epiſcopi Cardinales, alii Presbyteri, alii Diaconi. Epiſc. Card. ſunt numero ſex, uti diximus.

Cardinales Presbyteri ſunt XXVIII. diviſi per quatuor ſeptenaria, in Eccleſiis IV. Patriarchalibus urbis Romanæ ſunt intitulati.

Septem intitulati ſunt ad Eccleſiam S. Petri: nempè Card. S. Mariæ trans Tyberim: S. Cryſogoni: S. Ceciliæ: S. Anaſtaſiæ: S. Laurent. in Damaſo: S. Marci: S. Martini in monte.

Alii ſeptem, qui intitulati ſunt ad Eccleſiam S. Pauli, qui debent in altari majori deſervire, ſunt: Cardinalis S. Sabinæ: S. Priſcæ: S. Baldinæ: SS. Nerei, & Achillei: S. Sixti: S. Marcelli: S. Suſannæ.

Septem inſuper alii S. Mariæ majoris ſunt Card. videlicet, S. Potentianæ, S. Euſebiæ. S. Cyriaci in Thermis, S. G Vitalis, SS. Marcelli, & Petri, S. Clem.

Alii Presbyt. Card. S. Laurentii, ſunt iſti. Cardinalis S. Praxedis, S. Petri ad vincula, S. Laurentii in Lucina, S. Crucis in Jeruſalem, S. Stephani in monte Cælio. SS. Joannis, & Pauli, SS. quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales ſunt XVI.

S. Mariæ in Dominica: & iſte eſt velut aliorum Archidiaconus.

S. Luciæ in circo palatii juxta Septiſolium.

S. Mariæ novæ. SS. Coſmæ, & Damiani palatii.

S. Adriani palatii. S. Gregorii palatii, S. Mariæ in ſchola Græca.

S. Mariæ in porticu, S. Nicol. in carcere, S. Angeli.

S. Euſtachii. S. Mariæ in Aquario, S. Mariæ in via lata.

S. Agathæ, S. Luciæ in capite Sabin. S. Quiriaci.

Ita hos titulos enumerat Specul. *in tit. de leg. §. ſequitur*, Et *Alueotus in d. tit. Epiſc. Caſſian. ſuprà, & Onuphrius*.

Interim poteſt Pontifex plures conſtituere Cardinales, qui proinde ſupernumerarii vocantur, & adſpectantes loco decedentium. Ut notat *Caſſaneus ſuprà*. H

Cæterùm quoad numerum Cardinalium Presbyterorum, quem diximus fuiſſe XXVIII. perduravit is integer, ut habetur ex Pandulpho Piſano in vita Gelaſii II. uſque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Chriſti 1125. quo tempore religioſus hic ordo paulatim labefactari cœpit, morientibus enim Cardinalibus Presbyteris tunc primùm Titulis ipſis ſuo rectore orbatis, per Pontificem de novo Presbytero Cardinali provideri deſitum, neque ut antiquitus conſuetudo erat, ſtatim in defuncti locum alter amplius non ſubrogabatur Presbyter Cardinalis. Quare factum eſt, ut ſenſim numerus Presbyterorum Cardinalium decreſcere cœperit, & adeò diminutus paulatim eſt, ut aliquando tempus fuerit, in quo non niſi duo Presbyteri Cardinales viventes in Collegio eſſent, ut ſub Alexandri Papæ III. obitu, & creatione Urbani IV. Cur autem Honorius ipſe II. id primùm cœperit, & ejus exemplum ſequentes Romani Pontifices imitati ſunt, cauſa hæc fuit. Sub prædeceſſore Honorii II. videlicet Caliſto II. pax

pax inter Romanam Eccleſiam, & Imperium ſub Henrico V. A poſt longiſſimum diſſidium, & multa ſchiſmata ob Sacerdotium inveſtituras exorta, reformata fuerat, in qua inter cætera multa cautum fuit, ut Romani Pontificis electio ad Cardinales, Clerumque urbanum pertineret, neque amplius Imperatores jus aliquod, ut hactenus habuerant, haberent in Romanorum Pontificum creationibus. Cùmque ob Cardinalium multitudinem, pleraque ſchiſmata in novis Romanorum Pontificum creationibus orirentur (nondum enim lex inſtituta erat de duabus partibus Cardinalium) hoc malum repreſſuri Romani Pontifices, Cardinalium numerum paulatim diminuere cœperunt, & qui prius additis XVII. Diaconis certus, & determinatus erat, videlicet quinquaginta trium, ſenſim dilabi, & ad incertum numerum reduci cœpit, primo enim ex LIII. ſub Innocentio II. vel Cœleſtino II. XL. eſſe cœperunt, mox 35. deinde 30. poſteà 35. adhæc XX. poſt XV. vel X. poſtremò, ut dixi, ad eam paucitatem aliquando redacti ſunt, ut non eſſent niſi VII. Cardinales viventes, videlicet tres Presbyteri, & quatuor Diaconi, ut quando creatus fuit Nicolaus Papa III. Etenim Cardinalium numerus uſque ad id tempus, quo pauciores Car- B dinales nunquam fuerunt, diminui non deſiit; poſt quod ſenſim augeri cœpit, ut eſſent XV. poſt XX. ſub Bonifacii VIII. A venione deinceps eorum numerus iterùm creſcere cœpit, nunquam tamen uſque ad Xiſti IV. Pontificatum XXX. numerum attigerunt. Præſertim cùm in Concilio Conſtantienſi cautum fuerit, ne plures quàm XXIV. Cardinales viventes ſimul eſſent. Primus Papa Xiſtus IV. nulla habita ratione Concilii Conſtantienſis, Cardinalium numerum ſupra omnes prædeceſſores ſuos maximè ampliavit; cujus exemplum optimè ſequutus eſt Alexander Papa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum LIII. numerum exceſſit, ut eſſent videlicet Cardinales plures, quàm LIII. cùm nec eum numerum attigerint.

Sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui inſtituti ratione non habita maligna illa XXXI. Cardinalium creatione, veterum & antiquum, atque à nullo unquam Romanorum Pontificum exceſſum numerum LIII. longè ſuperavit. Nam ſub Leone X plus minus LX. Cardinales ſimul viventes fuerunt, quod nunquam aliàs contigerat poſt fundatatam Romanam Eccleſiam, ejus exemplum ſequuti ſunt Paul. III. & Paul. IV. prior enim ad LXIII. C numerum Cardinales auxit, ſequens ad LXX. quem quoque numerum nunquam præterea fuiſſe conſtat. Cùm igitur Presbyteri Cardinales numerum illum XXVIII. exceſſerint, novis titulis opus fuit, ut novis illis tribuerentur Cardinalibus, qui XXVIII. numerum exceſſerant, qui per diviſos Pontifices facti ſunt. Numerantur namque tituli novi XVII. ac primùm inſtituit poſt mille annorum decurſum Xiſtus IV. anno 1477. Leo verò XII. tres Julius III. unum Paul. IV. ſic ut prioribus adjuncti conficiant numerum XIV.

* Cardinalium Privilegia.

Plura ea ſunt: ſed inſigniora illa, quæ ſequuntur.

I. Conſuetudine introductum ut ſi damnatus ad mortem, & ad ſupplicii locum ducendus Cardinalis pileo, aut veſte ei forte obviàm facti tegeretur, liber ab executione ſententiæ evaderet.

II. In teſtamentis condendis non requirunt formulam Juris.

D III. A ſententiis Cardinalium, quando à toto eorum collegio feruntur, non cadit appellatio.

IV. Qui Cardinales lædunt, cenſentur rei læſæ majeſtatis.

V. Cardinalium dicto fides adhibetur, etiamſi nullum ſcriptum exhibeant.

VI. Cardinales Epiſcopi fratres appellantur Romani Pontificis: Diaconos autem vocat filios, non enim ſunt Coepiſcopi.

VII. Cardinalium neceſſitati debet ſubvenire ſummus Pontifex.

VIII. Solis Cardinalibus extrà urbem miſſis competit nomen Legati à latere.

IX. Cardinales non tenentur ſententia generali, niſi expreſsè eorumdem mentio fiat.

X. Cardinales reputantur inter perſonas illuſtres: ac dicuntur Eccleſiæ Senatores.

Vide Albanum Cardinalem q. 22. 42. in privil. 35. & 36. Caſneum ſuprà. Aſorium in ſumma Inſtitution. Moral. part. 2. lib. 3. q. 20. cap. 5. E

☞ *Vide Locum, & Titulos de Religione, & Religioſis, ubi quinam facti Cardinales ex Ordinibus Religioſorum.*

☞ *Item vide Tit. Magiſtratus, §. qui obſcuro loco nati, ad honores provecti.*

* OMNIUM S.R.E. CARDINALIUM,

Quorum in Pontificum geſtis, aut Eccleſiaſticarum rerum Analibus fit mentio, ſeries, eaque juxta ordinem Alphabeticũ cùm Gentis, ſive familię: tum nominis, vel cognominis, ac nonnunquam dignitatis eorumdem digeſta. Ex Onuphrio Ciaconio, & aliis uſque ad Pontificatum Urbani Octavi, Anno

M. DC. XXV.

Abbas S. Ambr. Mediol. Nic. V. Antipapa. F
Abbas Fuldenſis, Germ. Nic. V. Antipapa.
Abbas Montis Arrag. Hiſp. Bened. XIII. Antipapa.
Joannes de Abbatis villa, monach. Cluniac. Greg. IX.
Angelus Acciajolus, Florent. Urb. VI.
Nicolaus de Acciapacio Surrentinus, Eugen. IV.
Benedict. Accoltus, Aretin. Clem. VII.
Petrus Accoltus, Aretin. Jul. II.
Petrus de Aceblajo, Gallus, Joan. XXII.
Gabriel de Acromonte, Gallus, Clem. VII.
Adam Anglus, Urb. VI. & Bonif. IX.
Adelard. Veron. Lucius III. Clem. III.
Adelbert. Epiſcop. S. Rufinæ, Clem. III. Antipapa.
Alamanus Adimarius, Flor. Joan. XXIII.
Aſtorgus Agnenſ. Neap. Nic. V.
Fayditus de Agrifolio, Gallus, Clem. VII. Antipapa.
Guillelmus de Agrifolio, Abb. Clem. VI.
Guillelmus de Agrifol. Urb. V.
Nicolaus Albergat. Bonon. Chartuſ. Mart. V.
Alberic. Monach. Caſſinas, Alex. II.
Alanus Guillelm. Angl. Sixt. V.
Albericus Belvacenſis, Gallus, Innoc. II. G
Andoynus Alberti, Gallus, Innoc. VI.
Stephanus Alberi, Gallus, Clem. VI.
Stephanus Alberti, Innoc. VI.
Albert. Diac. Card. Alex. II.
Albert. Diac. Card. Greg. VII.
Albertus Epiſcopus Cardinalis Nepeſinus, Clement. III. Antipapa.
Albertus Diac. Card. B. Theod. Honor. II.
Albertus Auſtrius, Rudolf. Imp. Frat. Archiepiſc. Toletan. Greg. XIII.
Albert. de Albertis, Flor. Eugen. IV.
Albinus Mediolanenſis, Canonicus Regular. Luc. III. & Clem. III.
Egidius de Albornotio, Hiſp. Clem. VI.
Guillelmus Albus, Gallus, Benedict. XII.
Aldemar. Capuan. mon. Caſſin. Alex. II.
Aldo de Ferentino Camp. Paſch. II.
Hieronym. Alexand. Carnus, Paul. III.
Phillippus de Alenconio, Urb. VI. & Bonif. IX.
Otho de Alerano Caſalenſis, Greg. IX. Innoc. IV. H
Alexius Presb. Card. tt. S. Suſannæ, Clem. III.
Amaneus de Alibretto, Gallus, Alex. VI.
Ludovic. de Alibretto, Pius II.
Franciſc. Alidoſius Imolenſis, Jul. II.
Franciſc. de Alifia, Neap. Urb. VI.
Ludovic. Allamannus, Gallus, Mart. V.
Petrus de Alliaco, Gallus, Joann. XXIII.
Gerardus Allucingolus Lucenſis, Lucius III.
Ubaldus Allucingolus, Innoc. II.
Alphonſus Infans Portugal. Leo X.
Joannes Alvari de Toleto, ord. Præd. Paul. III.
Amadeus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Felix V. Antipapa.
Franciſc. de Amboſia, Gallus, Jul. II.
Georgius de Amboſia, Paul. III.
Amicus Presbyter Card. tt. S. Crucis, Urban. II.
Amicus Presbyter Card. tt. SS. Nerei & Achillei, Paſchalis II.

chalis II.
A Amicus Junior, Paſch. II.
Jacobus Ammanatus Lucenſis. Pius II.
Anaſtaſius Presb. Card. Clem. III. Antipapa.
Anaſtaſius tt. S. Clement. Paſch. II.
De Anche, Benedictus XIII. Antipapa.
Ancherus Trecenſis, Gallus, Urban. IV.
Andreas Auſtriacus, Greg. XIII.
Angelus Diac. S. Mariæ in Domi. Call. II.
Angelus Epiſc. Recanat. Greg. XII.
Bernardus de Anguiſcello, Gallus, Martin. IV.
Angelus de Anna, Neapolitanus, ordin. Camaldulenſis, Urb. VI.
Anſelm. Epiſc. Lucenſis, Alexand. II.
Anſelin. Canonic. Regul. Honor. II.
Anſelm. Mediol. Anaclet. II.
Anton. tt. S. Suſannæ, Paſch. II.
Antonius Archionius, Rom. Innoc. III.
Anton. Sylvius, idem.
Matthæus de Aquaſparta, ord. Minorum, Nicol. IV.
Aquaviva Julius, Pius V.
B Aquaviva Octavius, Greg. XIV.
Joannes Vincent. Aquaviva, Neapol. Paul. III.
Archiepiſc. Auxitan. Gallus, Jul. II.
Archiepiſcopus Lugdunenſis, Gallus, Clemens VII. Antipapa.
Archiepiſc. Modonenſis, Nicol. V. Antipapa.
Archiepiſc. Roſanenſis, Benedict. XIII. Antipapa.
Archiepiſcopus Toloſanus, Gallus, Benedict. XIII. Antipapa.
Archiep. de Verſoglie, Urban. VI.
Joannes Arcimboldus, Mediol. Xyſt. IV.
Nicol. Ardingellus, Florentin. Paul. III.
Arduin. Can. Reg. Alex. III.
Aretius Paul. Pius V.
Franciſc. Argent. Venetus, Jul. II.
Aribert. tt. S. Anaſt. Cœleſt. II.
Aribo Primiſcrin. Leo IX.
Arigon. Pompejus, Clemens VIII.
Auſtriac. Hieron. de Corregio, Pius IV.
Azolon. Decius, Sixt. V.
Goctius de Arimin. Gall. Bened. XII.
C Joann. Arlot. Rom. Nicol. V. Antipapa.
Franciſc. Armelin. Peruſin. Leo X.
Georg. de Arminiaco, Gallus, Paul. III.
Petrus Arnaldi, Gallus monach. Clement. V. Vicecancellarius.
Arnald. tt. S. Clement. Paſch. II.
Arnald. Epiſc. Card. Alban. Clem. V.
Arnald. de Anxio, Gallus. Clem. V.
Arnald. Epiſc. Appamiarum, Gallus, Clem. VI.
Arnold. Epiſc. Leodienſis, Urb. VI.
Jacobus de Arragonia, Hiſpanus Clement. VII. Antipapa.
Joann. de Arragon. Neap. Xyſt. IV.
Ludovic. de Arragon. Neap. Alex. VI.
Vincent. de Arragon. Hiſp. Greg. XII.
Joannes de Arciis, Gallus, Felix V. Antipapa II. Nicolaus V.
Guillielmus Artuſarti, Gallus, Clem. V.
Aſtaldus de Aſtaldis, Romanus, Cœleſtinus II. Eugenius III.
D Atto Presb. Card. Alex. II.
Hugo Attratus Anglus, Martin. IV.
Gaſpard de Avalos, Hiſp. Paul. III.
Hieron. de Annia Genuenſis, Clem. VIII.
Aldobrandin. Hyppol. Sixt. V.
Aldobrandin. Joann. Pius V.
Aldobrandin. Cynth. Clem. VIII.
Aldobrandin. Petrus, Idem.

B

Thomas Badia Mutinenſis, ord. Præd. Paul. III.
Balduinus, Gallus, monach. Ciſterc. Innoc. II.
Joann. Balues, Gallus, Paul. II.
Bandellus de Bandell. Lucenſis, Greg. XII.
Bandell. de Bandellis, Clem. VIII.
Angel. Barbadic. Venet. Greg. XII.
Gaufrid. de Barbo, Gallus, Martin. IV.
Marc. Bereus Venet. Paul. III.
Petr. Barbus Venet. Eugen. IV. E
Baro Capellanus Papæ pro cancellario. Innoc. II.
Joan. Baptiſta Baro de Conſiliar. Rom. Paul. IV.
Petrus de Barrer Gallus, Clemens Octavus Antipapa.
Ludovicus de Barro, Gallus. Benedictus XIII. Antipapa.
Baſil. Græcus, Epiſc. Card. Alban. Alex. II.
Hieron. Baſſus, Savonenſis, Xiſtus IV.
Barthol. tt. Paſtor. Honor. III.
Barthol. Vicecancell. Greg. IX.
Bartholomæus Epiſcopus Novarienſis, Felix V. Antipapa.
Petrus de Bauma Burgundus, Paul. III.
Michael de Becco, Gallus, Clem. V.
Guido Bellagius, Florent. Innoc. II.
Joannes Bellajus, Gallus, Paul. III.
Egidius de Bellamera, Innoc. VI.
Petrus Bembus Venet. Paul. III.
Benedict. Presb. Paſtor. Greg. VII.
Benedict. Presb. tt. S. Praxedis, Greg. VII. F
Benedict. Presb. tt. Eudoxiæ, Urb. II.
Benedict. Presb. tt. S. Clem. Calliſt. II.
Benedictus Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ, Innocentius III.
Benno German. Archipresb. Alex. II.
Benno Germanus Presbyt. Cardinalis, Clemens III. Antipapa.
Betinuenga de Betinuengis, ord. Minorum, Nicolaus III.
Berardus Gallus, Nicol. IV.
Berengar. Hiſpan. Bened. XIII. Antipapa.
Bernard. Abb. S. Victor. Maſſil. Alex. II.
Bernard. Papienſis, Greg. VII.
Bernard. Presb. tt. S. Chryſog. Urb. II.
Bernard. Diac. Card. Urb. II.
Bernard. Diac. Card. Cœleſtin. II.
Bernard. Archipresb. S. Petri, Eugen. III.
Bernardus Piſanus monachus Ciſtertienſis, Eugenius III.
Bernardus Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ, Hadrian. IV. G
Bernard. S. Nicolai in carcere, Alex. III.
Bernard. Epiſc. Præneſtin. Alex. III.
Bernard. Canonic. Regul. Clem. III.
Bernard. Epiſc. Ruthen. Bened. XII.
Bernard. Epiſc. Aquenſis, Felix V. Antipapa.
Petr. de Betunia, Gallus Greg. XI.
Petrus Bertanus, Mutinenſis, ordinis Prædicatorum, Jul. III.
Bertram. S. Georg. in Velabro, Innoc. III.
Petr. Bertrand. Clem. VI.
Bertrandus Epiſcop. Portuenſis, & S. Rufinæ, Honorius III.
Joannes Bertrand. Gallus, Paul. IV.
Beſſarion Trapezuntius, Græcus, Eugen. IV.
Jacobus Gualla de Bicheriis, Vercellenſis, Innocentius III.
Robertus Biliberi Anglus, ordinis Prædicatorum, Nicol. III.
Hugo de Biliomo, Gallus, ord. Præd. Nic. IV.
Gerardus Blancus Parmenſis, Nic. III. H
Hugo Blancus Trid. Leo IX.
Petrus Blani Hiſpan. Bened. XIII. Antipapa.
Joann. de Blanſaco, Gallus Innoc. VI.
Blaſius pro Cancellario, Innoc. III.
Guillelmus Comes Bleſenſis, Gallus, Lucius II.
Beraldus de Bloco, Gallus, Cœleſt. V.
Bobo Epiſc. Card. Labric. Urb. II.
Bobo Diac. Card. S. Angeli, Lucius III.
Bobo tt. S. Anaſt. Clem. III.
Bobo S. Georgii in Velabro, Clemens III.
Bobo S. Theodori, Cœleſtin. III.
Jacinthus Bobo Rom. Luc. II.
Nicolaus Bobo Rom. Cœleſt. III.
Nicolaus Bocaſinus Tarviſinus, ordinis Prædicatorum Bon. VIII.
Boethus SS. Viti &, Modeſti, Innoc. II.
Bonadies Rom. Hadr. IV.

Jacobus Boncambius Bonon. ord. Prædic. Vicecancellarius, Innoc. IV.
A Bonifacius Epiſc. Card. Albanus, Leo IX.
Bonifacius Presbyt. Card. tt. S. Marci, Urban. II.
Andreas Bontempus Peruſinus, Urb. VI.
Carolus Borbonius, Gallus, Xyſt. IV.
Carolus Borbonius de Vendoſme, Paul. III.
Ludovicus de Borbonio, Gallus, Leo X.
Alphonſus Borgia Valentinus, Hiſpan. Eug. IV.
Cæſar Borgia, Alex. VI.
Franciſcus Borgia, Alex. VI.
Henricus Borgia, Paul. III.
Joannes Borgia, Alex. VI.
Ludovicus Borgia, Alex. VI.
Rodericus Borgia, Calliſt. III.
Rodericus Borgia, Paulus III.
Simon de Borſano Mediolan. Greg. XI. Boſo Papæ ſcriptor pro Cancellario, Eug. III.
Boſo Anglus Camerarius, S. R. E. Had. IV.
Bernardus de Boſqueto, Gallus, Urb. V.
Hadrianus Boxivius, Leo X.
B Guillelmus Bragoſſe, Gallus, Innoc. VI.
Landulphus Brancacius Neap. Cœleſt. V.
Nicolaus Brancacius, Gallus, Clem. VII. Antipapa.
Rainaldus Brancacius Neap. Urb. VI.
Albertus Brandeburgenſis Germanus, Leo X.
Guillelmus de Brayo, Gallus, Urb. IV.
Renatus de Bria, Gallus, Jul. III.
Guillelmus Briſſoneta, Gallus, Alex. VI.
Joannes de Britannia, Gallus, Fel. V. Antipapa.
Brocardus Germanus, Pius II.
Joannes de Bronhiaco, Gallus, Clem. VII. Vicecancellarius.
Jo. Buccamatius Rom. Honor. IV.
Thebaldus Buccapecus Rom. Paſch. II.
Marinus Bulcanus Neap. Urb. VI.
Joannes de Bruxerius, Gallus, Greg. XI.

C

Gerardus Caccianimicus Bonon. Canon. Regul. Honorius II.
C Ubaldus Caccianicus Bononienſis Canon. Regularis Lucius II.
Pomponius Cæcius Rom. Paul. III.
Alexander Cæſarinus Rom. Leo X.
Julianus Cæſarinus Rom. Martinus V.
Julianus Cæſarinus Alex. VI.
Fridericus Cæſius Rom. Paul. III.
Paulus Cæſius Roman. Leo X.
Antonius Cajetanus Rom. Bonifacius IX.
Benedictus Cajetanus Anagninus, Martin. IV.
Benedictus Cajetanus Anagninus, Cœleſt. V.
Franciſcus Cajetanus Anagninus, Bonif. VIII.
Jacobus Cajetanus Anagninus, ordinis Minorum, Bonifac. VIII.
Jacobus Cajet. Anagnin. Bonifac. VIII.
Nicolaus Cajet. Rom. Paul. III.
Raimundus de Canilhaco, Gallus, Clem. VI.
Antonius de Calancho, Gallus, Benedictus XIII. Antipapa.
Philippus Calandrinus Sergianen. Nicol. V.
D Ferdinandus de Calniello, Bened. XIII. Antipapa.
Antonius Calvus Rom. Innoc. VII.
Philippus de la Camera, Gallus, Abbas Gorbejenſis Clem. VII.
Alexander Campegius Bonon. Jul. III.
Laurentius Campegius Bonon. Leo X.
Egidius de Campis, Gallus, Jo. XXIII.
Bertrandus de Canhaco, Gallus, Greg. XI.
Bertrandus de Canhaco, Gallus, Clem. VII.
Petrus Capella, Gallus, Clem. V.
Petrus de Capis, Gallus, Joann. XXII.
Pilus Fortis de Capiſtrano, Gallus, Joan. XXII.
Joan. Antonius Capiſuccus Rom. Paul. III.
Hieronymus de Capiteferreo Rom. Paul. III.
Nicolaus Capocejus Rom. Clem. VI.
Petrus Capocejus Rom. Innoc. IV.
Rainerius Capocejus Viterbienſis, Innoc. III.
Angelus Capranicus Rom. Pius II.
Dominicus Capranicus Rom. Mart. V. & Eug. IV.
Guillelmus de Capua Neap. Urb. VI. E
Lodovicus de Capua Neap. Urb. VI.
Petrus Capuanus Amalphitanus, Cœleſt. III.
Alphonſus Caraffa, Neap. Paul. IV.
Carolus Caraffa, Neap. Paulus IV.
Diomedes Caraffa, Paulus IV.
Joannes Petrus Caraff. Paulus III.
Joannes Vincentius Caraff. Clem. VII.
Oliverius Caraff. Paulus II.
Philippus Caraff. Urb. VI.
Joannes de Caramagna, Gallus Clem. VI.
Franciſcus Carbonus Neapol. Urb. VI.
Henricus de Cardona Hiſpanus, Clem. VII.
Jacobus de Cardona, Pius II.
Carolus de Caretto Genuenſis, Jul. II.
Alphonſus Carillus Hiſpanus, Benedictus XIII. Antipapa.
Alphonſus Carillus Hiſpanus, Felix V. Antipapa.
Joannes Carlonus Neap. Urb. VI.
Carolus Epiſc. Matiſconen Paul. III.
Conradus Caracciolus Neap. Innoc. VII. F
Marinus Caracciolus, Paulus III.
Carthuſianus monach. Bened. XIII. Antipapa.
Bernardinus Carvajal, Alex. VI.
Jo. Carvajal Hiſpanus, Eug. IV.
Reginaldus de Carvare, Gallus, Eug. IV.
Thomas de Caſaco, Gallus, monach. Clemens VII. Antipapa.
Jacobus Caſanova, Hiſpanus, Alex. VI.
Jo. Caſanova, ordinis Prædicatorum, Martinus V. & Eugen. IV.
Comes de Caſate Mediol. Martin. IV.
Fridericus Caſſemirts Polonus, Alex. VI.
Antonius Caſſinus Senenſis, Martin. V.
Franciſcus Caſtagnola Neap. Urb. VI.
Bertrandus de Caſſaneto, Gallus, Joan. XXII.
Jo. Caſtelliar Hiſpanus, Alex. VI.
Odettus de Caſtelione, Gallus, Clem. VII.
Branda Caſtelio Mediolanenſis, Jo. XXIII.
Gaufridus Caſtelioneus Mediolanen Greg. IX.
Gotifredus Caſtelioneus Innoc. IV.
Joannes Caſtelioneus Calliſt. III. G
Hadrianus Caſtellenſis Cornetanus, Alex. VI.
Guido de Caſtello Tiphernas. Honor. II.
Joannes de Caſtro Valentinus, Hiſpanus Alexander VI.
Annibaldus de Ceccano Rom. Jo. XXII.
Antonius Cerdanus Majoricen. Nic. V.
Joannes Cervantes Hiſpan. Martin. V.
Marcellus Cervinus Politianen. Paul. III.
Chriſtophorus Anglus, Jul. II.
Chryſogonus Piſanus, Paſch. II. Cancell.
Chryſogonus tt. S. Praxedis, Innoc. II.
Chryſogonus S. Mariæ in Porticu, Innoc. II.
Innocentius Cibo, Genuenſis, Leo X.
Joannes Baptiſta, Xyſtus IV.
Laurentius Cibo, Innoc. VIII.
Jo. Baptiſta Cicada Genuenſis, Jul. III.
Leornardus de Ciffono, ordinis Minorum, Clem. VII. Antipapa.
Cincius Rom. tt. Lucinæ, Eug. III.
Cincius Epiſcopus Card. Portuenſis, & Rufinæ, Hadrian. IV. H
Cincius Rom. ti. S. Luc. Cœleſt. III.
Joannes Ciolletti Gallus, Martin. IV.
Franciſcus Guillelmus de Claromonte, Jul. II.
Antonius de Clavibuſe, Luſitanus, Eug. IV.
Bernardus Cleſius Trident. Clem. VIII.
Fabricius de Cluniaco, Gallus, Xyſt. IV.
Bartholomæus de Cocurno, Genuenſis, ordin. Minor. Urban. VI.
Alanus Cœttinus, Britto, Nicol. V.
Amicus de Collemedio, Xyſt. IV.
Petrus de Collemedio, Gallus, Innoc. IV.
Agapitus Columna Rom. Urb. VI.
Jacobus Columna Rom. Nic. III. & Clem. V.
Joannes Columna Rom. Honor. III.
Joannes Columna, Joan. XXII.
Joannes Columna Xyſt. IV.